

†

Doctor D. Cesáreo Rodrigo,
Presbítero.

LECTIONES PHILOSOPHIÆ,

QUAS

IN COLLEGIO VALLISOLETANO ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI

PROVINCIAE SS. N. JESU INSULARUM PHILIPPINARUM

DICTABAT ET EXPLICAT

P. LECT. FR. JOACHIM ALVAREZ Á JESU

ejusdem familiæ alumnus.

Omnis sapientia à Domino
est, et cum illo fuit semper.
et est ante ævum. Eccl. 4-4

AD EJUSDEM COLLEGII USUM EDITÆ.

VOLUMEN SECUNDUM.

DISPUTATIONES ONTOLOGIAE ET COSMOLOGIAE.



VALLISOLETI.—APUD GARRIDO.

1868.



ALLEGORICALIS LIBERIA

LIBERIA

INTRODUCTIO IN ALLEGORICALIS LIBERIA

INTRODUCTIO IN ALLEGORICALIS LIBERIA

TACITUS ET TACITUS

ALLEGORICALIS LIBERIA

Ecce, amantissime Jesu, ante tuæ infinitæ Majestatis et Misericordiæ
tronum iterum provolutus offero hoc secundum Philosophiæ volumen,
accipe et dà quod petis.

Fr. Joaquin Alvarez
á JESU.

AD EUDSENI COLLEGIUS LIBERIA

VOLUMEN SECUNDUM



FR. CŒLESTINUS MAYORDOMO LECTOR ET EX-PROVINCIALIS
PROVINCLÆ SS^{MI}. N. JESU EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI IN-
SULARUM PHILIPPINARUM, COMMISSARIUS GENERALIS EJUSDEMQUE PRO-
VINCIAE PROCURATOR, NEC NON VICARIUS PROVINCIALIS AC EJUS IN
PÆNINSULA COLLEGIORUM VISITATOR, etc.

Quum recognitum ac examinatum fuerit á RR. PP. Lect. jub. FF.
Emmanuele Jimenez et Joachimo García, Stud. Reg. in Collegio S.
Mariæ de la Vid, quibus hoc munus commisimus, *Lectionum philosophicæ
volumen secundum*, complectens *Disputationes Ontologicas et Cosmologicas*,
quas in nostro Vallisoletano Missionum Collegio dictavit et explicat
R. P. Lect. F. Joachim á Jesu Alvarez earumdem Missionum alumnus;
cumque iidem RR. PP. nihil in eis invenerint Sacrosanctæ Rom. Eccle-
siæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, quinimo ob earum dis-
putationum doctrinæ pondus, sermonis perspicuitatem et eximum
opinionum delectum, ut in lucem edi possent perutile esse probaverint;
facultatem damus, ut hoc secundum volumen typis mandetur, si iis, ad
quos de jure pertinet, ita videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu
nostra subscriptas dedimus.

Matriti in nostra Commissariæ domo die Festo SS. Trinitatis 7
Junii an. D. N. Jesu Christi 1868.

Fr. Cœlestinus Mayordomo.

JOANNES IGNATIUS, MISERATIONE DIVINA SANCTÆ ROMANÆ
ECCLESIAE PRESBYTER CARDINALIS MORENO, ARCHIEPISCOPUS VALLISO-
LETANUS, JUNCARIAE DE AMBIA PRIOR ET DOMINUS, REGALIS AC PRÆ-
CLARI ORDINIS HISPANICI CAROLI III MAGNAE CRUCIS EQUES, REGNI
SENATOR, REGIUSQUE CONSILIARIUS, etc. etc.

Quum operis cui titulus: *Lectiones Philosophiae*, quas in Collegio
Vallisoletano ordinis Eremitarum S. Augustini, provincie SSmi. Nominis
Jesu insularum Philippinarum, tradebat R. P. Lector Fr. Joachim à Jesu
Alvarez ejusdem familie alumnus, volumen secundum *Ontologię* ac
Cosmologię disputationes complectens, jussu nostro examinatum,
nihil contineat, juxta censuram, Ecclesiae doctrinæ contrarium, qui-
nimo studiosæ juventuti utile sit; licentiam, ut typis mandetur atque
in lucem edatur, quod ad Nos attinet, impertimus. In cujus fidem
præsentes litteras expedire decrevimus Vallisoleti 5 Septembris 1868.

Ioannes Ignatius Cardinalis Moreno

Archiepiscopus Vallisoletanus.

L. † S.

De mandato Emmi. ac Rmi. Domini mei Cardinalis Archiepiscopi,

DR. D. CÆSARIUS RODRIGO,

Canonicus Srius.

PHILOSOPHIÆ TRACTATUS SECUNDUS.

METAPHYSICA.

INTRODUCTIO.

1. Metaphysica, si ex *etymo* quærimus vocis significationem, idem sonat ac *post physicam*, vel *ultra physicam*; hinc etymologice sumpta, est: *Scientia, quæ physicæ succedit, quæ definitio historica est*: quæ enim de hac scientia scripsit Aristoteles post physicorum libros collata sunt, sive ab ipso Aristotele, sive, ut probabilius est, ab aliis, qui Stagiritæ scripta in ordinem classesque redigerunt: sed quomodocumque sit, harum scientiarum subordinationi optime consonat.

2. Si vero Metaphysicam, prout nunc sumitur, et juxta philosophorum mentem, definire volumus, dicemus: *esse scientiam speculativam, quæ circa ens generatim illiusque affectiones per mentem abstractas, speciatim vero circa substantias spirituales, prout naturali lumine cognoscuntur, versatur; vel pressius: scientia, quæ naturam sensibilem transgreditur.*

3. Ex ipsa ejus definitione habemus ejus divisiones; nam 1.: dum agit *circa ens generatim, atque illius affectiones per mentem abstractas, Ontologia* nuncupatur; et

quia leges physicæ abstracte sumptæ affectiones entis proprie non sunt, pars illa Metaphysicæ, quæ de iis pertractat, nomen illi speciale est, videlicet *Cosmologia* (1): 2.^o dum agit speciatim de substantiis spiritualibus, *Pneumatologia* audit, à *pneuma*=spiritus, et *logos*=ratio, seu tractatus; et quia spiritus sunt vel creati, vel increati: hinc pars illa, quæ de increato pertractat, *Theologie naturalis* nomine insignita est, à *Theos* (Deus) et *logos* (tractatus), *naturalis* vero, quia eo modo de Deo agit, prout lumine rationis cognosci ac *contemplari* potest; altera vero pars, quæ de creatis occupatur, *Psychologia* nominatur (2), à *Psyche* (*anima*) et *logos*; et etiam accepta pro illa parte, quæ modos exponit, quibus anima suos exercet actus, ejusque facultates ipsas expendit, vocatur *Dynamilogia*; ac si totum contemplatur hominem, vocatur *Anthropologia*.

Agemus itaque, Deo annuente, de iis omnibus, scilicet, de Ontologia, Cosmologia, Psychologia et Theologia naturali, seu Theodicea. In Ontologia et Psychologia vero nunnulla attingemus, quæ ad scientiam Esteticam pertinent; aliqua etiam, quæ in Logica subindicata sunt et supposita, in iis perserutantur, et probationibus stabiliuntur.

4. Animadvertere oportet, quod quamvis Ontologia, appellari ab aliis soleat Idealogia, nihilominus vetustiorem illam appellationem retinendam existimamus; tum quia à sensistis nomine idealogiae abutitur, tum etiam quia hæc scientia non proprie ideas, sed objectivas rationes et entitates persequitur.

5. Cæterum, quæ sit Metaphysicæ excellentia et utilitas ex singularum, quas in se complectitur, scientiarum dignitate et prærogativis æstimari potest; accuratissimas

(1) *Kosmon* (mundus, ornementum) nomen græcum à Pythagora inter latinos primum usitatum, et *Logos* (ratio, tractatus).

(2) Nomen *Psychologiae* primo usurpatum à Goclenio fuit.

enim de rebus notiones tradit; quasi aliarum disciplinarum parens illis principia subministrat, quibus suum robur accipient in demonstrando; res spirituales omnium præstantissimas contemplatur, et quæ ad nostram originem, naturam et finem pertinent, sedulo investigat. Ab ipsa, ait S. Thomas (1), omnes scientiæ (naturales) dependent, utpote ab ipsa accipientes sua principia et directionem; atque illius neglectu, ait Baco à Verulamio, est cur pauci progressum in aliis scientiis faciunt. Ridiculam igitur arrogantiam et ignorantiam suam profitentur ii, qui Metaphysicam, inter scientias naturales principem ac nobilissimam, quasi inutilem ac fribolam dedignantur, aut ut inextricabilibus spinis circumseptam insipiente prædicant. At fallacis illius scholæ empiricorum elapsi sæculi reliquiae vix ullæ extant: multæ enim ac magnæ calamitates et tenebræ ex ea philosophandi ratione exortæ nos docent, quâ fide digni sint tales scelesti ac impii homines. Nihil mirum, compertum enim est, quovis tempore depravatos exstisset animos, aut bene moratos, prout Metaphysica prave, vel recte decreta sua pronuntiaverit; igitur summopere interest Metaphysicæ studio incumbere, certisque atque indubitatis principiis animum imbuere, ut iisdem, quibus in nos Religionis hostes utuntur armis, imitantur ac debellentur. Faxit D. O. M.

(1) Lib. 3. Cont. Gent. c. 25.

METAPHYSICÆ PARS PRIMA.

METAPHYSICA GENERALIS,

SEU

ONTOLOGIA.

1. Ex tradita Metaphysicæ definitione et divisione (introduct. 2.—3.) patet Ontologiæ definitio: itaque Ontologia est: *Scientia speculativa, quæ circa ens generatim illiusque affectiones per mentem abstractas versatur; seu: Scientia rerum prouti notionibus maximè abstractis exhibentur.* Hæ porro notiones in hac scientia non considerantur *subjectivæ*, id est, ut sunt mentis actus ac proles, sed *objectivæ*, id est, in eo, quod repræsentant et continent expressum. Ideæ hoc modo spectatae dicuntur *conceptus objectivi, notæ, seu rationes objectivæ, rerum conceptibilitates.* Ecce ergo quare, ut diximus (4), hanc scientiam Ontologiam cum veteribus, potius quam Idealogiam, appellamus, cum insuper entis notio ea sit, ad quam supremæ istæ abstractæque notiones reducuntur. Verumtamen hoc humile opus nostrum ea parte (Idealogiâ) non carebit, ut alibi videre licet.

2. Hujus scientiæ munus est, supremas has notiones expendere, illustrare, earumque objectivum valorem, ubi opus fuerit, tueri et explicare; deinde principia prima, quæ ex iis efflorescunt, constituere, declarare ac constabilire; hincque manifestum appareat, quanta sit ejus dignitas, uti-

litas et necessitas. Profecto quamcumque scientiam quis excolat, in ea sœpe hærebit, sœpius minus accurate loquetur, et confuse disputabit, si disciplinæ hujus ignarus sit: neque is unquam vere sapiens esse, aut dici poterit, quod et experientia probat. Hinc Aristoteles hanc unicam scientiam *sapientiae* nomine insignivit; et merito quidem, quandoquidem ipsa est æque pulcherrima ac præstantissima apex, ac vertex omnium naturalium scientiarum, et viam planissimam aperit ad ipsam sacram Theologiam, in qua nec passum firmum dare valebit, qui in quæstionibus Ontologicis ideas illustrando intellectum non acuerit, alte defigendo contemplationem in ejus variis decretis.

3. Præcipuas notiones hujus partis Metaphysicæ, quæ *generalis* vocatur, seu *Ontologia*, ita disponemus: Cum ejus objectum sit ens, entisque affectiones mente abstractæ, primum obtinebunt locum examen et explicatio notio-
nis entis: utrum, et quomodo ens sit primum intellectū objectum, quot et quales sint proprietates, quæ sequuntur omne ens: sequetur ejus analogia, et criticum examen de principiis, quæ ab entis et non-entis, seu nihili, notionibus diminant, quæ omnia complectetur Sectio prima. Age-
mus deinde in Sectione secunda de rerum essentia, exis-
tentia, natura et origine atque intelligibilitate possibilium:
subinde agemus de proprietatibus transcendentalibus sin-
gillatim, earumque oppositis. Sectio hæc in duos articu-
los ad majorem claritatem distributa ibit. Circa entium perfectionem, tum quoad esse, tum quoad essendi modum, versabit Sectio tertia. In quarta vero locum obtinebunt quatuor primæ Categoriarum, id est; *Substantia* et *accidens*, *Quantitas*, *Relatio*, et *Qualitas*. In quinta denique et ultima pertractabimus de sex reliquis categoriis, id est, de *Actione* et *Passione*, ibique de entium nexu; de *Ubi*, qua-
propter de spatio, loco et distantia; de *Quando*, atque ideo de tempore; de *Situ* et *Habitu*. Hic est ordo, qui nobis opportunior visus fuit. De omnibus agemus possibili brevi-

tate, nec plus quam par est vestros teneros animos grave-mus; vos interim hortantes ut, posteaquam has notiones scite perspectas habeatis, iis deinde contenti non sitis.

SECTIO PRIMA.

De ente, ac de principiis, quæ ex ejus notione dimanant.

DISPUTATIO 1.^a.—DE ENTIS NOTIONE.—DE NIHIL ET
EJUS CONCEPTU.—DE ENTIS ANALOGIA.—QUOT ET QUALES
SINT PROPRIETATES, QUÆ SEQUUNTUR OMNE ENS.

4. Notio entis non est capax definitionis propriè sumptæ. Etenim aliqua notio propriè definitur, cum in elementa, quæ complectitur, evolvitur. Atqui notio entis, simplicissima cum sit, ex pluribus elementis non constat. Insuper quidquid cogitemus, quidquid significemus est ens; ergo notio entis non est capax definitionis proprie sumptæ Attamen omnes probe scimus quid nomine entis intelligatur:

Intelligimus, ut ait S. Thomas (1), *id, cuius actus est esse, et quidquid habet actum essendi.*

5. Verumtamen esse duobus modis concipi potest, vel ut est *actus existentiæ*, vel ut est *actus essentiae*; id est, vel ut *purum esse*, uti nullam involvens contradictionem; vel ut in *aliquo genere contentum*, id est, aliquâ essentiali notâ determinatum: primo v. gr. *Deus est: mundus est*; secundo modo: *Deus est bonus: mundus est contingens*. Si primo modo tantum concipiatur, vocatur simpliciter *ens*; si vero secundo modo, vocatur *res*. Itaque cum aliquid de ente disputatur, hoc debet esse aliqua ejus proprietas, seu determinatio; ergo Ontologiæ objectum non est proprie *ens*, sed *res*, id est ens determinatum. Hæ vero determinationes aliæ sunt *essentiales omni enti*, quæ sunt

(1) De Ente et Essent. prœm.—et in L. 10. Metaph. Sect. 2.

quinque, scilicet: *res*, *aliquid*, *unum*, *verum*, *bonum*; aliæ vero dividunt ens, non ut genus in species, sed in diversos modos essendi, eæ sunt decem categoriæ, diversimode consideratæ, ac considerantur in Logica; etenim in Logica considerabamus eas tamquam aliquid ideale, hîc vero in Ontologia tanquam aliquid reale extra mentem existens (1).

6. Ens potest esse *actuale*, et *potentiale*: seu *in ordine physico et reali*, et *in ordine metaphysico et ideali*. Est in ordine *metaphysico*, seu *ideali*, omne id, quod cum nullam involvat contradictionem capax est progrediendi ad *actum*, id est, ad existendum, seu subsistendum in propria natura. Est in ordine *physico*, seu *reali*, cum jam hanc existentiam, seu subsistentiam recepit. Potest etiam subsistere *per se* et *in se*, vel tantummodo *in alio*; primum est *substantia*, alterum *accidens*; quamvis hoc proprie ens non sit, sed solum *ens entis*, seu analogice ens. Potest ens esse *per se quid completum*, et principium suarum operationum; et potest tantummodo *cum aliquo alio concurrere ad aliud ens completum efficiendum*; primum est *suppositum*, alterum *pars*, vel *substantialis*, vel *accidentalis*, vel *integralis* etc (2).

7. Oppositum enti est *nihil*: etenim

Nihilum est negatio, sive *absentia entis*: hinc scholastici illud simpliciter *non-ens* vocare solent. De nihilo loquens S. P. Augustinus (3) perbelle ait; «*Nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid acci-*

(1) S. Th. loc. cit.-vid. Logicam.

(2) Ens etiam potest contemplari vel *in seipso*, vel *in relatione ad alterum*, ex hoc secundo modo resultat *ordo*, *pulchritudo*, etc. et etiam relationes tum *accidentales*, tum *essentialies*, ut variæ causarum species, de quibus omnibus agemus.

(3) *Op. imperf. Cont. Jul. 1. 5. n. 44.*

»dens, nec ulla informis materies, nec inanis locus, nec
»ipsæ tenebræ, sed prorsus nihil.»

8. Nihilum, cuius notionem modo declaravimus, enti communissime accepto opponitur. At nihilum appellari etiam solet id, quod opponitur enti secundum aliquem modum determinato, ita ut denotet absentiam alicujus modi entis. Nihilum hac ratione spectatum distinguitur in *negativum*, et *privativum*.

Nihilum *negativum* est absentia alicujus modi entis considerata in se ipsa, v. gr. *non videre; non habere rationem.*

Nihilum *privativum* est absentia alicujus modi entis considerata in subjecto, quod ad illam habendam natura-liter comparatum est, v. gr. *absentia visū in animali; absentia rectitudinis moralis in homine.*

Ex his in promptu est intelligere discrimen inter *negationem*, et *privationem*. *Negatio* enim nihil aliud denotat, nisi simpliciter aliquid non esse, quin denotet ullum subjectum, cui inesse illud aliquid naturale sit; nullam proinde simpliciter involvit imperfectionem. *Privatio* autem denotat aliquid non esse in subjecto, cujus natura illud expostulat, et ideo involvit imperfectionem (1).

9. Jam, *ens* mente conceptum potest esse tale, ut solummodo in intellectu illud cogitante existere possit, nullo vero modo extra in seipso, et tunc vocatur et est *ens rationis*; est igitur *ens rationis*: *Id, quod à ratione cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat; v. gr. genus, species, tenebræ etc.*

10. Denique, nomen *ens* non est univocum, sed analogum analogiæ attributionis: etenim

1.^o *Ens* nec est *genus*, nec *species*, nec *proprium*, nec *accidens*, nec *quid simile*, sed hæc omnia transcendit ac complectitur; ergo quamvis nomen sit idem, *non eamdem*

(1) Cons. S. Th. In lib. 1. Sent. Dist. 13. q. 1. a. 4. solut.

constantè rationem et essentias significat, sed diversas, maxime cum de Deo et de creaturis dicitur; ergo non univocum, sed æquivocum est, ea æquivocatione, quæ dicitur *consilio*, propter aliquam relationem ad ens proprie sumpturnum, seu infinitum; ergo est analogum attributione.

2.^o Non eodem modo dicitur ens de substantia ac de accidentibus; nam uni competit per se, alteri per accidens; non eodem modo de Deo ac de creatoris; ergo etc. (1).

Notate. Ens et res dicuntur primo de rebus exsistentibus, quæ actu realitatem habent; secundo per analogiam attributionis de iis, quæ possunt exsistere; hæc namque realitatem habent solummodo abstractam. Propterea *ens* possibile non est primum quod cognoscitur ac vocatur *ens*.

3.^o Postremo, ad Disputationem hanc concludendam, videamus quomodo S. Thomas demonstret proprietates transcendentales entis.

»Sicut, ait ipse (2), in demonstrabilibus oportet fieri reductionem in aliqua principia per se intellectui nota: ita investigando quid est unumquodque: alias utrobique in infinitum iretur, et sic periret omnis scientia, et cognitione rerum. Illud autem quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quod omnes conceptiones resolvit, est ens.... unde oportet ut omnes aliæ conceptiones intellectus accipientur ex additione ad ens. Sed enti non potest addi aliquid quasi extranea natura.... quia quælibet natura essentialiter est ens.... sed secundum hoc aliqua dicitur addere supra ens, *in quantum exprimunt ipsius modum*, qui nomine ipsius entis non exprimitur, quod duplíciter contingit: uno modo, ut modus expressus sit aliquis *specialis* modus entis; sunt enim diversi gradus entitatis, secundum quos accipiuntur diversi modi essendi,

(1) Cons. Ammon. *in isag. Porphirii, c. de specie*; S. P. Aug. tract. 38. in Joa.

(2) De vero q. 1. a. 1.

»et juxta hos modos accipiuntur diversa rerum genera:
»substantia enim non addit supra ens aliquam differentiam,
»quæ significet aliquam naturam superadditam enti; sed
»nomine substantiæ exprimitur quidam specialis modus
»essendi, scilicet *per se ens*, et ita in aliis generibus (quan-
»titas, qualitas etc.). *Alio modo* ita quod modus expressus
»sit modus generaliter consequens omne ens; et hic modus
»*dupliciter* etiam potest accipi: *uno modo* secundum quod
»consequitur omne ens *in se*: *alio modo*, secundum quod
»consequitur unumquodque ens *in ordine ad aliud*. Si *primo modo*,
hoc dicitur, quia exprimit in ente aliquid *affirmative*, vel *negative*. Non autem invenitur affirmative dictum
»absolute, quod possit accipi in omni ente, nisi essentiam
»ejus, secundum quam esse dicitur, et sic imponitur hoc
»nomen *res*, quod in hoc differt ab ente.... quod ens su-
»mitur ab actu essendi, sed nomen *rei* exprimit quiddita-
»tem, sive essentiam entis. Negatio vero, quæ est conse-
»quens omne ens absolute, est indivisio: et hanc exprimit
»hoc nomen *unum*; nihil enim est aliud unum, quam ens
»indivisum. Si autem modus entis accipiatur *secundo modo*,
»scilicet secundum ordinem unius ad alterum, hoc potest
»esse *dupliciter*: *uno modo* secundum divisionem unius
»ab altero: et hoc exprimit hoc nomen *aliquid*; dicitur
»enim aliquid *quasi aliud quid*: unde sicut ens dicitur unum
»in quantum est indivisum *in se*; ita dicitur aliquid, in
»quantum est ab aliis divisum: *alio modo*, secundum conve-
»nientiam unius entis ad aliud: et hoc quidem non potest
»esse, nisi accipiatur aliquid quod natum est convenire
»cum omni ente: hoc autem est amina, quæ quodammodo
»est omnia, *ut dicitur in 3. de anima*. In anima autem
»est vis cognitiva, et appetitiva. Convenientiam ergo entis
»ad appetitum exprimit hoc nomen *bonum*... convenientiam
»vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen *verum*.»
Habetis igitur tam profunde, quam perbelle demonstratos
illos entis modos transcendentes, de quibus non semel

mentionem fecimus, et de quibus cito sermonem instituemus: interim sit:

DISPUTATIO 2.^a—UTRUM ENS SIT PRIMUM INTELLECTUS OBJECTUM, ET QUOMODO.—DE PRINCIPIIS, QUÆ AB ENTIS NOTIONE DIMANANT.

11. Præcipuas theorias, quæ ad originem notionum entis et non-entis spectant, duobus propositionibus complectimur.

PROPOSITIO I.^a *Notio entis prima est, tum in ordine cronologico, seu temporis, quo intellectus notiones rerum adquirit, tum in ordine logico, quo notiones inter se continentur.*

Prima pars hujus propositionis hoc significat, quod intellectus rerum materialium essentiam, quæ est ipsius objectum (1), primo, prout est ens, concipit (2). Altera pars significat, in conceptum entis omnes reliquos resolvi.

12. *Prob. prima pars.* Mens humana ita comparata est, ut à notionibus magis communibus ad notiones minus communes progrediatur. Atqui nihil in rebus communius, quam ens, intelligi potest. Ergo mens humana objectum sibi proportionatum, nempe essentiam rerum materialium principio, prout est ens, intelligit.

Minor hujus argumenti facile perspicietis, si consideratis, quod, quidquid in singulis rebus invenitur, sive substantiale, sive accidentale, est quoddam ens; quidquid enim est, ens est; non-ens est nihil.

Major autem ita demonstratur. Mens humana ita comparata esse debet, ut principio cognitionem rerum imperfectam adquirat, deinde ipsam gradatim perficiat, quia

(1) Cons. salv. Tong. Inst. Philosoph. Psych. lib. 3. c. 5. art. 2.

(2) Cons. S. Tho. Sum Th. 1. p. q. 5. a. 2.

non in actu cognitionis, sed in potentia ad cognoscendum à Deo creatur. Atqui cognitio, quo magis communis est, eo minus est perfecta, quia quo magis communis est, eo pauciores notas proprias objecti, quod repræsentat, complectitur, ita ut primo concipiatur puram existentiam, seu esse, deinde pergit ad cognoscendas notas, quæ essentiam constituunt. Ergo mens humana ita comparata est, ut notiones rerum magis communes prius, quam minus communes assequatur.

13. Hoc ens, quod primo concipitur, prout est objectum primæ notionis, est ens indeterminatum, communissimum, et *objectum cognitionis directæ*; sed ita comparatum, ut varias determinationes accipere possit, et habere aliquas realitates, quæ eumdem determinent, quæque sunt *objectum cognitionis reflexæ*. Ergo ens, quamvis primo conceptum, non est *nihilum*. 1.º Quia nihilum non est capax ullius determinationis, nec existentiam accipere potest; dum ē contrario, *ens* hujusmodi est, ut in singulis naturis rerum diversis modis determinari posse intelligatur, et ideo existentiam physicam accipere potest. 2.º Nihilum est negatio entis; igitur si ens indeterminatum esset nihil, esset ens non-ens. Hæc sufficient ad explodendum *ens-ideam* nihilum Hegelii.

Itaque primum, quod intellectus in re aliqua concipit, est *esse purum*, seu *ens*, deinde ejus determinationes: v. g. in homine; primum concipit *esse*, seu *ens indeterminatum*, deinde *substantiam*, *corpus*, *animal* etc.

14. *Prob. secunda pars.* Notio aliqua in aliam resolvitur, quoties hæc illam continet. Atqui notio entis, ut ex dictis patet, reliquas omnes notiones continet⁽¹⁾. Ergo in notionem entis omnes reliquæ notiones resolvuntur. Hinc si ab omnibus notionibus removeantur cunctæ diffe-

(1) Vid. Disp. 1.^{am} n. 10.—3.

rentiæ, quibus à se invicem discriminantur, remanet ens, quod omnibus commune est (1).

15. *Hinc colligitur.* 1.^o Notio entis, quæ est prima omnium, cum sit communissima, non essentiam, sed *actum essendi* repræsentat; quidquid enim cogitatur, hoc ipso, habet aliquam existentiam, saltem intentionalem, nempe in ordine logico; non essentiam, quia hæc est maximum, quod de entibus cognoscimus, et ultimum reflexionis terminum.

2.^o Ens, cuius notionem omnium primam intellectus sibi conficit, est illud, quod *actum essendi reale*, non vero *possibilem* denotat; quia ut intelligatur aliquid esse possibile, præcedat necesse est cognitio notarum illarum, quæ ejus essentiam constituunt, et deinde hæc ejusmodi elementa, seu notas esse ad invicem sociabiles, et inter se in *unum* componi posse. Habere autem realitatem ex eo patet, quia quidquid est intelligibile, in tantum est intelligibile in quantum *est*. Hæc vero realitas est objectum materiale intellectūs, non autem semper est objectum formale, id est, eam cognoscit directe et confuse, usque dum ope reflexionis cognoscat quid sit.

16. PROPOSITIO II.^a *Nihilum ab intellectu cognoscitur, non per se ipsum, sed per ejus oppositum, nempe per ens communissime sumptum.*

Prob. prima pars. Illud cognosci non potest per se ipsum, quod nullam habet realitatem, nec aliquod *esse* proprium. Atqui nihilum nullam realitatem, nullum esse proprium habet. Ergo nihilum per se ipsum ab intellectu cognosci repugnat.

Prob. secunda pars. Intellectus non potest intelligere absentiam cuiusdam specialis determinationis entis, nisi intelligat aliquod objectum, in quo illa determinatio

(2) Const. Tong. Ont. Cap. 1. art. 1.

entis invenitur, v. g. nobis non licet intelligere absentiam rationis in bellua, nisi ex eo, quod rationem homini inesse novimus. Atqui non ens, seu nihilum denotat absentiam entis communissime sumpti: Ergo intellectus non potest intelligere nihilum, nisi per ens communissime sumptum, cui nihilum opponitur.

Et sane, quemadmodum uno conceptu omnia quæ sunt complecti possumus, ita omnis realitas cogitatione una removeri potest, et sic remota concipi, nihil de ipsa affirmando, nihil negando. Quare S. Thomas statuit «intellectum notionem nihili sibi confidere ex eo, quod absentiam entis concipit.»

18. Et nec dicatis, cum Parmenide: perinde esse concipere nihilum ac non concipere quidquam. Nam lapis v. g. non concipit quidquam, et tamen nihilum non concipit. Qui non concipit quidquam *actu* intelligendi caret, at qui concipit nihilum per remotionem entis, *actum* intelligendi exercet. Videamus jam quæ principia dimanent ab entis notione.

19. Cum intellectus ens considerat, *actum essendi* (15), quem in illo contuetur in se ipso verbo mentis per judicium reproducit. Judicium vero quod tunc efformat est hoc: *Ens est*; seu: *Quod est est*. Hoc dicitur principium *identitatis*: quod principium ex notione nihili per remotionem *esse* formam quoque negativam assumit: *Quod non est, non est: nihilum non est*.

20. Si intellectus comparat ens cum non-ente, statim agnoscit alterum alterius exclusionem esse: hinc judicium efformat: *Esse excludit non-esse*, et vice versa. Cujus exclusionis necessitate perspecta, judicium in modale transformatur, videlicet in hoc: *Impossibile est esse et non-esse se invicem non excludere*; seu *Idem non potest simul esse et non esse*. Hoc dicitur principium *contradictionis*, quia *esse* et *non-esse*, quæ sunt ejus termini, contradictoria sunt.

Idem principium aliis verbis Logici sic efferunt: *Impossible est duas contradictorias esse simul veras.*

21. Demum ex immediata oppositione entis cum ejus negatione tertium dimanat principium, scilicet: *Quaelibet res aut est, aut non est:* quod dicitur principium *exclusi medii*, et est idem ac illud Logicorum: *Impossible est duas contradictorias esse simul falsas.*

22. Verumtamen, quamvis in ordine apprehensionis primum sit principium *identitatis*, in ordine tamen *affirmationis* principem locum obtinet principium *contradictionis*: principium *exclusi medii* sequitur principium contradictionis: principium *identitatis* est ipsum contradictionis principium incomplete expressum.

23. De principio contradictionis igitur hæc teneto.

1.^o In eo dicitur *idem*, seu *eadem res* absolute, quia complectitur omnia, quæ cogitari possunt, sive actu sint, sive non: dicitur *idem*, seu *eadem*, quia ad contradictionem requiritur identitatem subjecti in utraque propositione.

2.^o Verbum *esse* sumitur tum *absolute* et *indeterminate*, tum *relative* et *determinate*: quia per hoc principium æque affirmatur impossibilitatem *esse* et *non-esse simul*, ac impossibilitatem habere aliquam certam realitatem, aut determinationem et simul illam non habere.

3.^o Dicitur *simul*, seu *eodem tempore*. Primo quia complectitur omnia, quæ sunt, aut cogitari possunt, et proinde tam de necessariis, quam de contingentibus; ideoque sine hoc addito esset falsum. Secundo, quia cum etiam complectatur cujuscumque rei determinationes, hæ diverso tempore diversæ esse possunt. Tunc igitur notio temporis solum omitti potest, cum determinatio, quæ assertur, vel negatur, est de iis, quæ essentiam subjecti constituant, vel ipsi repugnant; sic absolute dicimus: *triangulus non potest esse quadratus: animal non potest non esse sensitivum: Deus non potest esse injustus* etc. unde Aris-

toteles eum ita exposuit: *idem simul inesse, et non inesse eidem et secundum idem impossibile est.*

Ad hunc tantummodo casum pertinet illud Kantianum principium: *Prædicatum quod rei repugnat, illi non convenit* (1), quod principio contradictionis subrogandum perperam existimavit Kantius (2).

DISPUTATIO 3.^a—UTRUM PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS SIT PRIMUM ET SOLUM CUJUSQUE VERITATIS PRINCIPIUM.

24. Sicut ratio entis est omnium prima, quæ à mente in re quapiam cognoscitur (quod enim nihil est nec cognosci per se quidem potest, ut supra dictum est), ita principium, quo mens utitur ad demonstrandum aliquid esse, vel non esse, debet esse omnium omnino primum, per se notum et evidens, quod veritatem suam directe manifestet, et à quo ad aliarum veritatum cognitionem adducamur.

Varia sunt pro qualibet scientia axiomata per se nota et manifesta, sed aliquando contingit, ut cavillosi et pertinaces, homines sceptici ea, licet evidentissima, impudenter negent; juvat igitur hujusmodi axiomata revocare ad principium aliquod ita per se notum et evidens, ut ne à pertinacissimo quidem negari possit, quin eo ipso affirmetur, quodque veluti implicitum sit cæteris (3).

Utrum et quod sit aperient sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.^a *Principium contradictionis est omnium primum in ordine reductionis, non tamen in ordine demonstrationis.*

25. *Prob. 1.^a pars.* Illud merito dici potest primum omnis veritatis principium in ordine reductionis, quod ita

(1) *Log. transc.* 1. 2. c. 2 sect. 1.

(2) *Cons. Balm. Filosof. fund.* 1. 1. c. 20.

(3) *Cons. S. Tho. 2.^a Metaph. lect. 5.*

evidens est, ut à nemine possit negari, quod nulla indigere potest demonstratione, quodque tale est, ut ad ipsum reduci possit omnis veritas, sive absolute, sive hypothetice necessaria; atqui hisce characteribus gaudet principium contradictionis; Ergo etc.

I. *Ita evidens est, ut negari, aut in dubium vocari non possit, quin supponatur et affirmetur.* Qui enim illud negaret, ideo illud falsum diceret, quia putaret non esse verum; ergo hoc ipso judicaret id, quod falsum est, non posse simul esse verum; ergo ipsum principium certum supponeret. Pariter, qui de ipso dubitaret, ideo assensum retineret, quia timeret nec falsum esset; ergo hoc ipso judicaret *illud simul verum et falsum esse non posse*: ergo etc.

II. *Nulla indiget demonstratione.* Illud enim demonstratione non indiget, quod præsupponitur ad omnem demonstrationem, et sine quo nulla potest esse demonstratio. Atqui tale est principium contradictionis. Omnis enim demonstratio requirit aliquod principium verum, ex quo profiscatur; atqui non præsupposito principio contradictionis, nullum tale potest esse principium; quia tunc omnis propositio *vera simul ac falsa*, aut *neque vera neque falsa* pari jure dici potest: ergo etc.

26. III. *Ad principium contradictionis cætera omnia reduci possunt.* Sane principium contradictionis ex conceptibus entis, et non-entis efflorescit. Atqui conceptus entis et non-entis sunt illi, ad quos, veluti ad omnium supremos, reliqui omnes reducuntur. Ergo principium contradictionis ejusmodi est, ut ad ipsum omnia reliqua principia reducantur. Inde fit, ut principium contradictionis sit fundamentum reliquorum principiorum, quia firmitatem suam cæteris principiis omnium scientiarum communibus largitur; siquidem quis investigare velit, cur de illis principiis ne minimum quidem dubitare possit, statim deprehendit id ex eo evenire, quod si falsa essent, idem simul affirmaretur et negaretur: unde reliqua principia possunt

indirecte demonstrari (1) per principium contradictionis contra illos vaferrimos, à quibus impugnantur; quisquis enim iliquid illorum impugnat, ad idem simul esse et non esse asserendum tandem cogi potest. Inde est quod ipsum supponant cætera principia à philosophis excogitata, et ad ipsum isti confugiant veluti ad salvationis portum, nec in scepticismo sumergantur. Quid sibi vult illud Cartesii (2) *Cogito, ergo sum?* Nonne supponit hoc contradictionis principium? utique. Si idem posset simul esse et non-esse, posset simul cogitare et non cogitare, existere et non existere. Quid sibi vult illud alterum Auctoris *artis cogitandi* (3) et Cartesianorum: *Quidquid in alicujus rei clara et distincta idea continetur, potest de illa vere affirmari*, nisi hoc, quod est non potest simul non esse? Tolle principium contradictionis, et habebimus, esse simul claram ideam et non esse etc. Ergo hoc principium est omnium primum.

27. *Prob. 2.^o pars.* Scilicet, *principium contradictionis non esse primum in ordine demonstrationis*. Etenim ex reductione veritatum aliarum, sive sint absolute necessariæ, sive sint dato aliquo facto necessariæ, (v. g. *mundus est*, quia dum est necessario est), ad principium contradictionis, nequit inferri, easdem per aliud analytice; vel synthetice demonstrari non posse: etenim vera probatio, seu demonstratio omnino requirit ut sit deductio, non tantum ex prioribus, sed etiam ex notioribus principiis. Jam vero plures veritates, æquali prorsus evidentia ac ipsum contradictionis principium, nobis innotescere manifestum est; hinc sponte sua fluit, principium istud posse quidem dici primum omnium in ordine reductionis, non autem in ordine demonstrationis. Unde tale est, ut

(1) *Indirecte*, inquimus, quia principia communia, cum ex se perspicua sint, demonstrationem proprie sumptam non admittunt.

(2) 1. P. princip.

(3) 4. P. cap. 7.; Purch. 1. p. *Metaph. c. 4.*

virtute sua influat in omnes scientias, non vero in omnes actu et immediate; et edeo non est hujusmodi, ut ex ipso, sine principiis propriis cujusque scientiæ, veritas rerum elici possit. Hæc contra Woltium (1).

28. *Adverte.* Statuendo principium contradictionis tamquam primum cujusque axiomatis et veritatis principium, non ideo in contradictionem incidimus ad ea, quæ in Logica statuimus de evidentia; principium enim contradictionis habet rationem suæ *certitudinis* in evidentia, quæ est veluti fons, ex quo fluit cognitio principiorum, sive lumen, quo percipiuntur. Aliud enim est principium *veritatis*, aliud principium *certitudinis*: sive alia est ratio cur talis propositio sit vera, et alia est ratio propter quam propositioni veræ absque ullo errandi periculo intellectus adhæret; primarium igitur veritatis principium est principium contradictionis; primarium autem certitudinis est evidencia.

Hæc confundunt Cartesiani, dum statuunt suum principium, ut primum veritatis principium.

29. Ad secundum quæstionis membrum, utrum sit *solum principium contradictionis*, negavit Leibnitius et alii, statuentes, *principium contradictionis* esse primum principium veritatum necessariarum, et principium *rationis sufficientis*, quod significant his verbis: *Nihil est sine ratione sufficiente, esse primum principium veritatum contingentium.*

Ratio sufficiens potest definiri: *Id omne, quo aliquid intelligitur, vel potest intelligi: vel communius: Id omne, quo intelligitur, vel potest intelligi quid sit res, aut quare sit, aut cur sit; igitur cum quæritur: quæ sit essentia alicujus rei: vel quare possibilis sit; aut cur cognoscibilis sit; vel quæritur: cur aliquid existat: nihil in iis quæstionibus investigatur et quæritur, nisi ratio sufficiens, quæ*

(1) *Ont. part. 1. Sect. 1. cap. 1.*

si adæquate adducitur, nihil amplius investigandum remanet; nihil enim est, quod rationem sui sufficientem non habeat, quæ si tollatur, ipsum rationatum tolli necesse est, et quæ si ponatur, ipsum quoque rationatum necessario ponitur; igitur principium rationis sufficientis et ipsum verum principium est.

30. Huic subordinatur principium alterum, quod vocant *causalitatis*, quodque aliqui perperam cum principio hoc rationis sufficientis confundunt: est hoc: *Nihil fit sine causa*: vel melius: *Quidquid existere incipit, efficientem sui causam habet*. Attamen hoc principium causalitatis minus sese extendit, quam principium rationis sufficientis. Etenim illud existentiæ solummodo incipientis ordinem respicit; alterum vero tum essentiarum, tum existentiæ, tum cognitionis ordinem, tum denique ipsam possibilitatem complectitur. De iis postea, nunc sit

PROPOSITIO II.* *Principium rationis sufficientis est verum, et valet non solum pro veritatibus contingentiis, sed etiam pro veritatibus necessariis, ita ut tamquam principium ipsarum habendum sit, sed non tamquam PRIMUM PRINCIPIUM (1).*

31. *Prob. prima pars.* Nulla res, nec rei modus potest esse sui causa, ut patet; ergo ut aliqua res potius existat, quam non existat, atque existat potius hoc modo, quam illo alio, non solum requiritur aliquid, quod sit causa, cur existat, atque aliquid quod sit finis, ob quem existat, sed etiam aliquid, per quod ad potius existendum, quam non existendum, atque ad existendum potius hoc, quam illo modo determinetur. Atqui illud, à quo res ad certo quodam modo existendum determinatur, est ratio

(1) Cons. Fourn. *Ont. Sect. 1. c. 1. et 2.*; Sansev.; *Elementa philosoph. christ. cum antiq. comp.* Neap. 1864.=vol. 2. cap. 2. arts. 1. et 4.

sufficiens existentiæ ejus. Ergo nihil existit sine aliqua ratione sufficienti. Ergo principium rationis sufficientis est verum.

Confirmatur. Ac *primo*, certum est, Deum hunc mundum non sine aliqua ratione condidisse. Nam, cum creatio mundi non sit necessaria, sed liberum opus Dei, aliquid esse debuit, per quod Deus se ad mundum creandum determinavit. Atqui id, per quod Deus se ad mundum creandum determinavit, est ratio sufficiens, ob quam mundus existit. Ergo mundus non sine ratione sufficienti existit (1).

Secundo, certum quoque est, omnes res, ex quibus mundus conflatitur, inter sese connexas esse (2), alioquin unitas mundi ab illis effici haud potuisset. Jam vero hæc connexionio rerum mundanarum commonstrat, Deum singulis naturis rerum certos existendi modos non sine peculiaribus rationibus dedit, quia ad illam connexionem efficiendam requiritur, ut unaquæque natura eum modum existendi habeat, qui loco, quem occupat, muniisque, quibus fungi debet in mundo, respondeat. Atqui id, quo res ad certo modo existendum determinatur, est ratio sufficiens, cur existat. Ergo præter rationem sufficientem existentiæ mundi, rationes sufficientes existentiæ singularum rerum, ex quibus mundus constat, esse debent. Igitur nihil sine aliqua ratione sufficiente existere pro certo habendum est.

32. *Prob. 2.º prop. pars.* Non solas res contingentes, ut neotericis placet, sed necessarias quoque, contendimus habere rationes sufficientes suæ existentiæ. Ad cujus rei intelligentiam præmonendum est; si mundus ad Deum referatur, nullas res in eo inveniri, quæ absolutam necessitatem habeant, quia Deus mundum ex sua libera voluntate creavit; verum, si res, ex quibus mundus constat, in se

(1) Cons. Salv. Tongior. Theol. nat. lib. 4. c. 1.

(1) Id. Cosmol. lib. 2. c. 1.

spectentur, in multis absolutam necessitatem inveniri, quippe quod multæ ita à Deo productæ sunt, ut aliter esse nequeant; puta, ut suo loco ostendemus, essentiæ, et proprietates, quæ ab essentia necessario promanant. Quod cum ita sit, neotericorum deceptio manifesta est. Etenim nihil eorum, quæ existunt, est, uti dictum est, sine aliqua ratione sufficienti; atqui in mundo sunt, non solum res contingentes, sed etiam necessariæ; ergo non solum rerum contingentium, sed etiam necessariarum rationes sufficientes sunt; ergo principium rationis sufficientis valet etiam pro veritatibus necessariis.

Tamquam principium igitur veritatum tam contingentium, quam necessariarum habendum est principium rationis sufficientis. Et sane, si cujusque rei, sive contingentis, sive necessariæ aliquid esse debet, à quo ipsa ad certo modo existendum determinatur, consequens est, in analysi, sive, ut Scholæ ajunt, in *resolutione* cujusque veritatis tum contingentis, cum necessariæ, tandem ad aliquid posse perveniri, ex quo, cur potius uno, quam alio modo existat, intelligatur. Atqui id est, quod ratio sufficiens dicitur. Ergo omnes veritates tam contingentes, quam necessariæ in effatum rationis sufficientis resolvi possunt. *Resolvi possunt*, inquimus, non vero debent, quia quamvis certum sit, nihil esse sine aliqua ratione sufficiente, tamen non semper rationes rerum sufficientes detegere nobis licet.

34. At principium rationis sufficientis nequit haberi tamquam primum, nec ipsarum contingentium veritatum, aliter ac sensit Leibnitius. Nam, illud principium omnium primum dici nequit, quod in aliud se superius resolvitur. Atqui effatum *rationis sufficientis* in principium *contradictionis* resolvitur. Ergo dici nequit esse primum principium pro veritatibus contingentibus.

Minor probatur. Si nihil in re est, per quod ipsa ad certum modum existendi potius determinatur, quam non determinatur, consequens est, posse eamdem rem certo

quodam modo *simul esse et non esse*, quod destruit ipsam rationem sufficientem ad esse, si v. g. posset simul non esse. Atqui id contradictionem involvit. Ergo effatum *rationis sufficientis* in principium *contradictionis* resolvitur.

Accedit, quod principium primum ita esse debet ex se perspicuum, ut non solum demonstrationem *directam*, sed etiam *indirectam* respuat. Atqui effatum *rationis sufficientis* etiam argumento directo, ut vidimus in prima propositionis parte, demonstrari potest, et suo exemplo confirmant ipsi ejus patroni (1). Ergo effatum *rationis sufficientis* tamquam primum principium assignari nequit.

35. At, quæritur denique, principium contradictionis estne *objectivum*, an *subjectivum*? Relictis opinamentis et erroribus, dicimus: principium contradictionis esse *subjectivum*, utpote immutable, et lex fundamentalis operationum *rationis*, effluens à notionibus abstractis entis et non entis: in suis vero applicationibus esse *objectivum*, et omnia quaecumque sunt, aut excogitari possunt, ipsum complecti (2).

(1) Storchenau. *Institu. Log. et meta. Ont. Sect. 1. cap. 2. §. 20.*

(2) Cons. Caj. Sansev. *Philosoph. Christ. in comp. redact. Vol. 2. Ont. cap. 1. art. 4.; Jos. Prisco, Elem. philo. specul. Tom. 2. c. 1. art. 2.*

SECTIO SECUNDA.

ARTICULUS PRIMUS.

*De entis essentia et existentia, atque proprietatibus
transcendentalibus.*

DISPUTATIO 4.^a.—DE ENTIS ESSENTIA,—NATURA,—EXISTENTIA.—*QUID HÆ SINT.*—PROPOSITIONES AD ESSENTIAM ET EXISTENTIAM SPECTANTES.—LOCKII, GIOBERTIQUE ERRORES.—*QUOMODO DICENDÆ SUNT ESSENTIE INFINITÆ.*—

COROLLARIA.

36. Hactenus de ente disseruimus, prout intellectus illud in rebus absolute considerat, comperimusque, quidquid in natura rerum nobis occurrere velut quoddam *esse* à nobis intelligi. Verum quandoquidem intellectus in rebus creatis et *esse essentiæ*, et *esse existentiæ* intelligit, necesse est, ut et de istis breviter disputemus.

37. *Esse essentiæ*, seu simpliciter *essentia* definitur: *Id, quo aliquid in certa rerum specie collocatur* (1); quoniam vero res ex eo quod ad certam speciem pertinet, efficitur id quod est, atque à cæteris rebus discriminatur, essentia etiam definiri solet: *Id, per quod res est id quod est, et à cæteris rebus discriminatur.*

38. In qualibet re sunt quædam notæ, quarum una vel altera sublata, rei conceptus constare amplius non potest. Quædam aliæ vero sunt, quibus cogitatione præcisis, vel etiam re ipsa deficiuntur, adhuc tamen intelligitur *quid res sit*. Illæ igitur notæ, non istæ, rei essentiam constituunt. Sic, ut exemplo utar, parum refert an circulus sit majoris, vel minoris magnitudinis, sit ex lapide,

(1) Cons. S. Th. *De ente et essent.* Cap. 1.

auro, vel papyro etc., quocumque enim modo hæc se habeant, circuli ratio non mutatur. Circuli enim propria ratio in eo sita est, *quod omnia peripheriae puncta à centro æquidistant*. Idcirco, si ab hac essentiali nota præscindimus, circulum amplius non concipimus.

39. *Essentia* dicitur quoque: 1.º *ratio rei*, quia ipsa est ratio, ob quam res est id quod est; 2.º *quidditas*, quia est id, quo respondetur ad quæstionem, *quid res sit?* 3.º *forma*, quia forma, ut videbimus, est id, quo res in specie constituitur, atque distinguitur à materia, per quam species in aliquo individuo determinatur; 4.º *natura*, quia ipsa est principium, ex quo proprietates, et operationes rei nascuntur, seu promanant; est enim natura: *Entis ad certo quodam modo operandum dispositio atque tendentia*; seu, *Ipsa essentia prout vim ad operandum includit*.

Rerum essentia ex dupli modo, quo considerari et explicari potest, dividitur in *physicam* et *metaphysicam*.

Essentia dicitur *physica*, cum essentialia constitutiva, ut in re sunt considerantur, nulla abstractione, aut artificiali partitione adhibita, ut cum consideratur hic liber ex papyro scripta certo ordine conflatus; homo ex corpore organico et anima rationali unita compositus.

Dicitur vero *metaphysica*, et etiam *notionalis*, cum constitutiva entis *metaphysica* considerantur, essentia nempe divisa in partem communem, *quæ genus est*, et in partem propriam, *quæ est differentia*; quæque igitur nullum determinatum individuum exhibit, v. g. si hominem considerem ut *animal rationale*.

40. *Existentia* proprie definiri non potest, est enim notio simplicissima, et admodum clarissima: cogitate quid in mente revolvitis, cum dicitis: *existo*, *existit*. Solet tamen ita describi: *Actus*, *quo res, sive essentia est*: vel, *Id, quo res actu est*; seu: *Id, quo res extra nihilum sistitur*; vel brevius: *Actualitas essentiæ*: *Ultimum rei complementum*: *Complementum possibilitatis*, etc. Sed hæc

omnia nihil revera exhibent clarior, quam hæc unica vox: *existentia*; hujus vocis etymon significat emersionem quamdam ex alia re. Tamen de Deo etiam dicitur, quamvis, ut optime noscimus, Deus causam minime habeat. Ex quo videtis, existentiam esse id, quo respondetur quæstioni, *an res sit.*

41. Controversum fuit inter scholasticos utrum existentia ab essentia distinguatur; hinc inde se à se diviserunt, aliis affirmantibus, negantibus alteris.

Nos solum dicimus: 1.º Conceptus essentiæ et existentiae esse certe distinctos. Possumus enim cogitare de una, quin ad alteram attendamus. Cujus distinctionis fundamentum invenit mens in rerum contingentia, quæ ex se et in suo conceptu existentiam non includunt, quam tamen ab alio recipere possunt.

2.º In Deo, cuius essentia est ipsa ipsius existentia, ut actus purissimus, minime distingui, nec cogitatione, essentiam ab exsistentia.

3.º Essentiam existentem ab essentia abstracta et in statu realitatis metaphysicæ realiter distingui distinctione negativa, ut ens à non-ente; quo sensu videtur intelligi debere S. Thomas quotiescumque docet essentiam ab existentia realiter distingui (1).

4.º Probabilius videri: *Existentiam ab essentia actuata realiter non distingui* (2). Veniamus ad alia frugis melioris.

42. Quoniam Lockius, eo quod ei perspectum non fuerit verum discrimen inter sensum et intellectum, cuius solius est essentias attingere, negavit nos posse cognoscere rerum essentias reales, cui Giobertius astipulatus est, sit

(1) Cons. S. Tho., *Sum. Theo.* 1. p. q. 13. art. 3.

(2) Cons. Suarez, *Metaph. Disp.* 31. Mihi videtur à pluribus ignorari verum hujus quæstionis statum; unde video alios prabare id, quod alteri non negant.

PROPOSITIO I.^a *Multarum rerum essentiae reales à nobis cognoscuntur.*

Ac *primo* quidem, nulli dubium esse potest, quin intellectus probe cognoscat essentias illarum rerum, quarum constitutio ab ipso dependet. Etenim non potest intellectus ignorare ea, quae ipse excogitavit et conjunxit, cujusmodi sunt artefacta omnia, ut v. g. navis, aratrum, liber, et generatim machinæ quæcumque, et instrumenta ad certos fines et usus ab ipso cogitatione inventa, alioquin minime ea excogitare ipse posset. Deinde quæcumque intellectus construit in ordine ideali et abstracto, quæ quidem iis constant essentialibus determinationibus, quæ mens ipsis assignat.

Secundo. Dubitari nequit, quin etiam multis in rebus quasdam differentias concipiamus, quæ illas constituunt in determinato entium gradu à cæteris distincto, suntque veluti fontes, unde earum attributa pullulant. E. gr. quisque admittit bruta differre à plantis, et planctas à lapidisbus, eo quod bruta sentiant, non vere plantæ; et plantæ vegetent, non autem lapides. Atqui hujusmodi differentiae sunt reales, ipsamque rerum constitutionem, id est, essentiam ingrediuntur; nam sive cogitentur, sive non cogitentur, sive his, sive aliis nominibus illæ appellantur, sive ad has, sive ad illas species revocentur, semper verum est bruta sentire, ob idque à plantis differre; ratum igitur, firmunque sit essentias rerum à nobis cognosci.

43. *Præterea.* Res, ajente S. Thoma, per suam essentiam cognoscibilis est, et in specie ordinatur vel in genere (1); quapropter, si realis cujuslibet rei essentia nos latet, haud possibile foret nos scientiam rerum adquirere; quia tunc omnis nostra cognitio non circa ea, ex quibus res constituuntur, sed circa ea, quæ de rebus nobis ap-

(1) *De Ente et Essentia* c. 2.

parent, versaretur. Atqui id nonnisi à Scepticis asseri potest. Ergo, si nullius rei essentia realis comperta nobis esset, purus, putusque Scepticismus obtineret.

44. Sed illud præterea contrâ Giobertum, qui non dubitavit asserere, essentias reales in se *inintelligibiles*, seu *inexcogitabiles* esse, speciatim adnotandum est, quod ex ejus sententia hoc maximum absurdum etiam fluit, nempe ne Deum quidem essentias rerum cognoscere posse. Etenim essentiæ rerum, ipsius Gioberti judicio, sunt immutabiles. Ergo si ipsæ *objective*, seu in se inexcogitabiles forent, numquam posset fieri, ut intelligibiles evaderent, et itaque impossibile esset, ut Deus mundum et omnes res possibles cognosceret, nisi in se ipso, et non objective; quod etiam facit impossibilem creationem, quia Deus non cæco modo, sed per intelligentiam operatur.

45. Verumtamen, certum est, rerum naturalium essentias imperfecte admodum à nobis cognosci; constat hoc ex eo, quod rerum naturalium essentias intellectus cognoscere non potest, nisi quantum ad id sensitiva intuitione, aut intimè sensu jubatur, ac propemodum manudicitur. Sensitiva autem cognitio intima rerum constitutiva non attingit, sed solum quasdam earum qualitates directe, aut quosdam effectus, cætera solum indirecte. Non aliam igitur essentiarum hujusmodi notionem intellectus habet, nisi eam, quam notæ istæ præbere possunt cum indeterminatis notionibus entis, causæ, subjecti conjunctæ; unde essentiam omnem primo concipimus obscure per indeterminatum realitatis conceptum, ac deinde ulteriori accidente experientia et comparatione rerum ad invicem, ut realitatem, quæ per determinatas qualitates certosque effectus se manifestat. Sic v. g. corporis essentiam concipimus ut realitatem, quæ se manifestat extensione ac vi resistendi (1).

(1) Cons. Caj. Sensev. *Elem. phil. Christ.* etc. vol. 2. art. 5.

Vehementer igitur errarunt Lockius et Giobertius; sunt enim nobis cognitæ essentiæ rerum, non quidem omnes in se, sed in suis manifestationibus propriis atque constantibus, quæ, quid illæ sint, satis in conceptu nostro determinant.

46. Ad enucleatius declarandam essentiæ notionem sint:

PROPOSITIO II.—*Essentiæ rerum sunt indivisibiles, non tamen incompositæ omnes.*

Prob. prima pars. Essentia rei constituitur ex omnibus iis, quibus res est id quod est. Ergo, subtracto vel minimo eorum, quibus res est id quod est, essentia rei pereat necesse est. Si enim minui hæc concipientur, vel augeri, jam non amplius rem illam habebimus, sed aliam; adinstar numeri quaternarii v. g., vel quinarii, cui si vel minimum addimus, vel minuinus jam non illud numerum, sed aliud quodcumque habebimus.

Prob. secunda pars, contra Cartesianos (1). Loquimur de essentiis finitis, minime vero de infinita. Quælibet essentia ejusmodi esse debet, ut habeat tum aliquid, per quod à cæteris discriminatur, tum aliquid, per quod cum cæteris consentit; quia si hoc secundum deesset, res, quæ in mundo sunt, nullo nexu continerentur; sin alterum, omnes res unum idemque forent. Quapropter, cum res definiuntur, sive earum essentia significatur, addibetur *genus proximum*, quod complectitur aliquid commune rei definitæ cum aliis, et *differentia*, quæ exhibetur aliquid, ex quo res definita à cæteris discriminatur. Ergo essentiæ rerum ex variis principiis sunt compositæ (2).

(1) Cartesiani censuere, essentias rerum in unica proprietate consistere, atque hanc, quod ad spiritum attinet, esse cogitationem, quod ad corpus, esse extensionem; utrumque falsum.

(2) Jam palam diximus, hanc conclusionem spectare tantummodo ad res creatas; in Deo enim, ob infinitam Ejus simplicitatem, omnia unum idemque esse nullus sanæ frugis philosophus inficiatur. *Sans.*

47. PROPOSITIO III.¹ *Essentiæ rerum, prout sunt in intellectu Divino, sunt æternæ, necessariæ, et immutabiles.*

Prob. Essentiæ rerum, prout in intellectu Divino sunt, sunt ipsæ ideæ archetypæ, secundum quas Deus res in propriis earum *rationibus* novit, prout Divina Essentia est à creaturis diversimode participabilis (1). Atqui ideæ hæc, secundum quas Deus res novit, sunt æternæ, necessariæ, et immutabiles, cum sint ipse Deus. Ergo essentiæ rerum, prout sunt in Divino intellectu sunt æternæ, immutabiles, et necessariæ. Inferius melius hæc intelligetis.

48. PROPOSITIO IV.² *Essentiæ rerum, prout in rerum natura sunt, non sunt æternæ, sed in tempore.*

Prob. Deus cum tempore res condidit. Ergo essentiæ rerum spectatæ prout in rerum natura existunt, non sunt æternæ, sed cum tempore, et in tempore.

49. PROPOSITIO V.³ *Essentiæ rerum, prout sunt in rerum natura, sunt non absolute, sed hypotheticè necessariæ, et immutabiles si referantur ad Deum, à quo ad actum reducuntur; sunt autem absolute necessariæ, et immutabiles, si referantur ad principia, ex quibus consti-tuuntur.*

Prima pars, id est, *non esse absolute necessarias*, clara est; etenim Deus ex libera sua voluntate res creavit. Ergo essentiæ rerum, prout in natura existunt, si referantur ad Deum, à quo ad actum reducuntur, non sunt absolute necessariæ. Attamen

50. *Sunt hypotheticè necessariæ.* Etenim res per es-sentiam suam sunt id quod sunt. Ergo posita earum crea-

(1) Cons. S. P. Aug. Tract 1. in Joan. sub fine; id. Lib. qq. 83. q. 66. item S. Thom. Sum. The. 1. p. q. 15. a. 3.

tione, ipsæ essentiis suis destitui non possunt, nec novas adquirere, quin sint id, quod supponuntur, et simul non sint; quod quidem repugnat; ergo etc.

51. *Prob. secunda pars.* Sunt autem absolute necessariæ et immutabiles, si referantur ad principia, ex quibus constituuntur. Etenim illud est absolute necessarium, cuius oppositum repugnat. Atqui repugnat essentiam iis principiis destitui, ex quibus constat, quippe quæ simul esset, et non esset; scilicet, esset quatenus sumitur et supponitur esse, et simul non esset, quia non haberet principia ex quibus constituitur; sunt igitur necessariæ. Sed insuper, quod necessarium est, immutabile quoque est, cum aliter se habere nequeat. Hinc S. Bonayentura «quod non potest, ait (1), aliter se habere convertitur cum necessario».

Solvitur difficultas.

52. Sed vobis occurret difficultas. Essentiæ rerum, prout sunt in natura, sunt aliquid factum; atqui quidquid factum est mutabile est, ergo etc. Confirmatur ex perpetuis mutationibus, quæ in rerum natura fiunt, et per quas una res in aliam mutatur, v. g. lignum in cineres, rectangulum in triangulum, etc.

R. *Conc. maj.; Dist. minor.* Quidquid factum est, est intrinsecus mutabile *ratione accidentium*, quibus essentiæ individuantur, *conc. min.*; *ratione principiorum proximorum* ex quibus quælibet res constituitur, *neg. min.*; et deinde *nego cons.* et *conseq.*

Ad confirmationem. R. *negando.* Falsum est enim in his omnibus mutationibus mutari essentias; etenim solummodo quædam essentiæ singulares et compositæ existere cessant, aliæque illis succedunt, quæ prius non existebant, quæque aliqua primi compositi constitutiva sibi vindicant;

(1) In 1. sent. *Dist. 38. a. 2. q. 2. ad arg.*

vel hæc elementa aliter coagulantur in novamque speciem ingrediuntur.

53. Illæ vero mutationes, quæ accidentia tantum attингunt, ut, v. gr. hominem ex indocto fieri doctum, aquam ex frigida calidam etc., sunt tantummodo accidentales, per has nec esse rei mutatur, nec res in aliam ingreditur speciem.

54. Restat ad hanc absolvendam Disputationem animadvertere, quo sensu dicantur essentiæ *in infinitæ*. Porro dicuntur quoad extensionem, non vero quoad comprehensionem. Etenim notarum, quibus constant, complexio perfectionem aliquam finitam exhibet, sed in individuis *indefinitis* existentiam nancisci potest; eorum enim possibilitatis origo et radix fundamentalis, divina nempe Essentia, infinita inexhaustaque est; dicimus vero *indefinitis*, quia simul ad actum reduci nequeunt omnia possibilia, ut patet.

55. Ex omnibus hactenus dictis bene intellectis sequentia facile eruetis:

1.^o Notæ, seu determinationes reales constituunt ens in suo esse; earum negatio, seu defectus illud circumscribunt et limitant.

2.^o Nulla realitas in se spectata alteri realitati in se spectatae contradicit; nam ubi nulla est negatio, ibi nulla est contradictio; quia autem nulla realitas in se spectata negationem involvit; illimitata enim est absque defectu, ac proinde merum esse, et nullum non-esse involvit; limitata vero solummodo est, quatenus habet terminum ulterioris realitatis, in se tamen abstrahitur à termino seu defectu quocum conjungitur, et consideratur tantum ut est realitas, ac proinde tanquam esse, non autem tanquam non-esse involvens; ergo nulla realitas in se spectata potest alteri realitati contradicere.

3.^o Quidquid realitati in se spectatae contradicit, merus est defectus, seu mera negatio, vel realitas quatenus cum limite, seu defectu ulterioris realitatis conjungitur.

4.^o Omnes possibles realitates in eodem ente contineri possunt, cum nulla sit in se spectata, quæ alteri in se spectatæ contradicat; ideoque possibile est Ens omnibus possibilibus realitatibus præditum, seu Ens realissimum et illimitatum.

DISPUTATIO 5.^o—DE POSSIBILITATE ENTUM.—POSSIBILITAS INTRINSECA ET EXTRINSECA.—MORALIS POSSIBILITAS, ET IMPOSSIBILITAS.—NON OMNIA POSSIBILIA EXISTUNT.

56. Quoniam ens est omne id, quod habet *esse*, et omne quod esse habet, suam essentiam habeat necesse sit, et cum hæc possit esse tum actuata, seu in ordine existentiæ, tum in ordine puræ possibilitatis; de hoc ultimo restat quærere: quid sit, et unde emergat: an sint plura possibilia, quam quæ in aliqua temporis differentia existant: et unde entum possibilitas et intelligibilitas originem ducat.

Quæstiones sunt hæ supra modum jucundæ et faciliores, quam quod prima fronte apparent. Consulemus brevitati.

57. Possibilitatis notio ex ipsa rerum existentium cognitione efflorescit. Quidquid enim existit, existendi capacitem habet, et existendi capax erat antequam existeret. Hinc intelligimus, non solum id, quod actu existit existendi capacitem habere, sed alia quoque multa, quæ non existunt, ad existendum idonea esse. Sic possibilitatis puræ notionem adquirimus: id enim quod non est et esse potest, *possibile purum* dicitur, v. g. nos non post multos hos dies has disputationes perfecte intelligere possibile est.

Cum vero de possibilibus cogitamus, ac varias idearum consociationes exsequimur, quædam in iis occurrunt, quæ ad existentiam devenire non posse cognoscimus, v. g. triangulum quadratum; exinde *impossibilitatis* notio consurgit.

58. Possibilitas duplex distingui debet, *intrinseca*, videlicet, quæ *absoluta* etiam appellatur; et *extrinseca*, quæ etiam *relativa* audit.

Possibilitas intrinseca est: *Simplex non repugnantia rei*; seu: *Habilitas ad existendum, orta ex eo, quod rei constitutiva repugnantiam ad invicem non habeant.*

Possibilitas extrinseca est: *Habilitas ad existendum, procedens ex virtute causæ, quæ idonea sit ad rem producendam*; seu: *Rei producibilitas*, ut v. g. statuæ extrinseca possilitas est ab artifice.

Possibilitas *adæquata* utramque complectitur. Utraque enim requiritur conditio, ut ens venire possit ad existentiam.

59. Huic dupli possilitati duplex impossibilitas respondet, *intrinseca* et *extrinseca*. Intrinsece impossibile est: *quod notis constat sibi invicem excludentibus*, ut *triangulum quadrilaterum; materia cogitans*. Hæc intrinseca impossibilitas alia est absoluta, ut *triangulum esse quadrilaterum; materiam cogitantem; Deum invidum, etc.*; alia est hypothetica, ut *quæ solum dato aliquo facto, seu posita aliqua conditione contradictionem involvit, ut est mundum non extitisse: me non existere*. Extrinseca impossibilitas est: *Defectus virium causæ efficientis ad rem producendam*.

60. Possibilitas *intrinseca* est absoluta, ac limites non habet nisi contradictionem; sed extrinseca relativa est; quod enim unius causæ vires superat, alterius non superat, ita quod illi impossibile, huic possibile est.

Omnia, quæ intrinsece possilia sunt, extrinsecam quoque possilitatem habent, *si infinita Dei virtus spectetur*. At, si creatarum causarum vis attendatur, quædam nullis causæ creatæ viribus possilia sunt; omnis enim naturæ creatæ vires et facultatem excedunt; talia sunt, quæ opponuntur legibus naturæ à Deo constitutis, hæc fieri non possunt nisi à Deo per miraculum, dicunturque *physice impossibilia*, quæ vero à causis creatis fieri possunt, dicuntur *physice possibilia*.

61. Cum autem agitur de quibusdam actionibus ab ho-

mine ponendis, attendenda est etiam *moralis* possilitas, vel impossibilitas.

Id omne, quod salvis legibus, quibus mentes creatæ in suis actionibus diriguntur, fieri nequit, *moraliter* impossibile dicitur: quod autem salvis hujusmodi legibus fieri potest, moraliter possibile vocari solet. Impossibilitas *moralis*, et possilitas, potest esse *magis*, vel *minus stricta*, prout magis, vel minus repugnat præfatis legibus.

Possilitas intrinseca convertitur, ut patet, cum essentia rei. Sicut etiam patet, id, quod intrinsece impossibile est, esse *omnino nihil*, ac proinde non posse esse terminum cujuscumque operationis.

Praeter has notas, quæ essentiam constituunt, seu ex quarum non contradictione intrinsecam emergit possilitas, sunt et aliæ, quæ enti necessario convenient, utpote à primis necessario profluentes, hæ vocantur *attributa*, quæ in ipsa essentia rationem habent sufficientem; sunt etiam praeter attributa aliæ, quæ ab ipsis profluunt, ita tamen ut non necessario, sed contingenter, et variari, vel etiam abesse possunt, ac proinde in ipsa essentia non habent rationem sufficientem, hæ vocuntur *modi*. V. gr. in homine *rationalitas* et *animalitas* sunt notæ *essentiales*, seu quæ essentiam constituunt; *capacitas eruditio-nis*, *visibilitas*, *loquendi facultas* sunt *attributa*; *pietas*, *scientia*, *motus* sunt *modi*.

62. Postremo concludamus animadvertendo, quod id, quod possibile est, non est omnino nihil. Nam quod possibile est, existentiam potest adquirere; nihilum vero nunquam potest aliquid esse. Præterea, possibile concipitur per se, nihilum vero solum per negationem realitatis. Insuper, possibile unum ab alio possibile deffert per se, per proprias notas, nihilum vero solum per realitates, quarum negotio est, ab alio distingui potest.

Igitur quamquam possilia ut talia nullam habeant physicam realitatem, habent illam tamen *metaphysicam*,

abstractam in intellectu ea concipiente, et etiam rationem sufficientem in divina Essentia, modo infra declarando.

63. Nunc ad varias solvendas quæstiones accedimus. Ac prima: utrum omnia possibilia existant.

PROPOSITIO.—*Dantur plura possibilia, quam quæ in serie temporum existentiam obtinent.*

Est contra Petrum Abælardum (1), Spinosam (2), Hobbesium et fatalistas.

Prob. prop. 1.^o Omnia, quæ fieri possunt, limites necessario habent, virtus autem Dei est infinita; ergo quæ fieri possunt, semper augeri possunt, sed inter id, quod limites habet, et infinitum, infinita distantia est, quæ numquam exhaudiri potest, ergo impossibile est, ut omne id, quod fieri potest; existentiam de facto obtineat.

2.^o *Confirmatur.* Multa possibilia contradictoria sunt, quæ igitur simul existere nequeunt, v. g. possibile est corpus quocumque esse rotundum, vel quadratum, vel triangulare; Petrum bene valere, vel ægrotum esse; esse in domo, vel in foro, et ita de sexcentis, tamen impossibile est, hæc omnia de facto esse.

Denique, quidquid non repugnat possibile est. Atqui quamplurima, quæ non repugnant, non sunt; ergo sunt plura possibilia, quæ non extant ulla temporum differentia. Ergo dantur plura possibilia etc.

Siqua difficultas occurrit, solvitur statuendo, actiones Dei ad extra, seu quæ habent terminum extra ipsum, esse liberas, ut est creatio, et alia; et esse in tempore, vel melius, cum tempore, ratione horum terminorum.

(1) Cons. S. Bernar. *De error. Abælardi*, c. 3.; S. Thom. I. p. q.

25. a. 5.

(2) In *cogit. men. part.* I. c. 3.

DISPUTATIO 6.^a—DE POSSIBILITATIS ABSOLUTÆ ORIGINE
ET INTELLIGIBILITATE.

Disputationem coarctamus ad possibilitem absolutam, seu intrinsecam, quia de extrinseca nulla lis inter philosophos, nisi ea, quæ circa facta supernaturalia, sive miracula agitatur contra rationalistas, et de qua agemus in Cosmologia.

64. PROPOSITIO I.^a *Intrinseca rerum possibilitas non dicit originem à Dei Omnipotentia.*

Est contra nonnullos scholasticos duce Ockamo (1).

Prob. Ac primo, Divina potentia præsupponit intrinsecam possibilitem. Ergo hæc non dependet ab Omnipotencia. *Prob. ant.* Quod non est intrinsece possibile, seu quod intrinsece repugnat est nihil absolutum. Atqui repugnat nihil esse terminum operationis divinæ Potentiae. Ergo divina Potentia præsupponit intrinsecam possibilitem.

Præterea. Præscindendo ab intrinseca possibilite, et impossibilitate, nemo potest probare, Deum aliquid facere posse, vel non posse. Atqui hoc destruit omnem certitudinem principiorum, ideoque omnem scientiam, omnem affirmationem, et negationem absolutam; purum itaque putumque statuit scepticismum, maximum absurdorum. Ergo etc.

Insuper, Ockami doctrina destruit divinam Omnipotentiam. Nam, si unica ratio cur aliquid possibile habendum sit, hæc est: *quia Deus illud producere potest*, sane unica ratio, quâ aliquid impossibile est, hæc esset: *quia Deus illud efficere non potest*, et non *quia nihil sit*, sed *quia ad illud producendum non valeret divina Potentia*; quod est absurdum.

(1) In 1. *Distinct.* 33. *quæst. 2.*

dum. Supersedemus ab aliis rationibus, cum hæc proposicio evidens sit (1).

65. PROPOSITIO. II. *Intrinsica rerum possiblitas non dicit originem à divina Voluntate.*

Est contra Cartesium (2), juxta quem nulla est in Mente divina (juxta nostrum concipiendi modum) idea archetypa rerum, antequam Deus libere se determinaverit ad res efficiendas; quæ doctrina inducit Deum operantem ad extra cæco modo, volentem rem antequam illam cognoscat in se ipso, aut in ipsa natura rei. Quam certum est illud Ciceronis! *Nihil tam absurdum dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.*

Prob. prop. Probationes hujus propositionis præcedentem confirmant.

1.º Si interna rerum possiblitas à Voluntate divina penderet, à Voluntate quoque penderet divinus Intellectus quoad rerum cognitionem. Etenim cognitio supponit objectum; jam vero ante constitutionem possibilium essentiarum nullum erat objectum intelligibile. Atqui plane repugnat divinum Intellectum quoad rerum cognitionem à Voluntate pendere, sed potius intellectio præcedat voluntati necessè est; alioquin 1.º Deus vellet quod non cognoscit, cæcoque operaretur modo. 2.º Ad Intellectum divinum non pertineret dirigere Voluntatem juxta sapientiam. 3.º Scientia Dei non esset causa nec adæquata, nec inadæquata rerum; quæ tria plane absurdia sunt. Ergo intrinsica rerum possiblitas non pendet à divina Voluntate.

2.º Præterea. Justa Cartesium idcirco solum quædam possibilia non sunt, quia talia Deus ipsa esse voluit: ita

(1) Cons. S. Thom. Lib. 2. Cont. Gent. c. 25.

(2) In respons. ad sextas object. n. 6. et n. 8.

(3) Cicer. Lib. 2. de Divinat.

ut si Deus aliter voluisset, illa essent possibilia. Itaque si Deus ita vellet, hæc existendi haberent capacitatem, adeoque divina virtute effici possent. Atqui hoc plane repugnat.

Nam repugnat terminum divinæ virtutis operantis esse nihilum absolutum; absurdum est enim Deum operari, et operando producere nihilum. Atqui si Deus efficere posset quæ possibilia modo non sunt, terminus divinæ operantis virtutis esse posset nihilum. Etenim quæ modo possibilia non sunt, elementis constant essentialibus, quæ sese mutuo necessario excludunt. Ergo si Deus vellet utrumque simul, necessario nollet utrumque simul, adeoque nihil vellet. Fac v. gr. Deum velle circulum quadratum. Quid vellet in hac hypothesi? vellet circulum non circulum, cum constet essentiâ quadrati, et vellet quadratum non quadratum, cum constet essentiâ circuli; nimirum nec circulum, vellet nec quadratum.

3.^o Insuper, cum impossibile, in hac doctrina, sit determinare quid Deus velit, quid non, quia penes suam voluntatem est omnia statuere, sequitur nos haud de quo cumque certitudinem habere, nisi meras formas intellectuales; destruit igitur Cartesii doctrina omnem scientiam, inducitque ad purum putumque Scepticismum et Kantianismum.

Amplius. *Quo jure Cartesius certus est, se existere, quia cogitat?* Quo jure affirmat, blasphemiam, perjurium etc. numquam posse esse bonum? Nullo, nisi manifesta contradictione.

Denique, ipse sensus communis damnat Cartesii somnium; cum enim quisque quærerit, an aliquid sit possibile necne, non confugit ad divinam Voluntatem, sed ad rei conceptum, in ipsoque sistens diligenter observat, utrum res in suis essentialibus notis contradictionem involvat necne.

66. *Sed dicet aliquis.*

1.^o Voluntas Omnipotens potes omnia facere. Ergo po-

test etiam facere, ut impossibilia sint possibilia.

2.^o Secus Omnipotentia limitibus coarctaretur.

Ad 1.^m R. 1. Concedo. Deus utique potest *omnia* facere, etenim quæ contradictionem involvunt non sub verbo *omnia*, sed sub *nihilum* cadunt.

R. 2.^o Dist. ant. Potest omnia facere, quæ potest velle, et quæ possunt fieri, *conc.* Quæ nec potest velle, nec possunt fieri, *nego*.

Ad 2.^m Nego. Impossibile enim non est aliquid, sed merum nihil. Nullis autem limitibus circumscribitur divina Potentia, cum dicimus ipsam non posse facere nihilum, quia nihilum non potest esse terminum actionis, sed ens.

Obj. 2. Sublata Dei Omnipotentia tollitur omnis possibilitas; ergo etc.

R. 1.^o Nego hypothesis, veluti absurdam.

R. 2.^o Dist. Tollitur omnis externa possibilitas, *conc.*; tollitur interna, *subdist.* Tollitur quia tollitur ipse Deus, *conc.*; tollitur omnis possibilitas, quia sublata Dei Omnipotentia tollitur radix] et fundamentum omnis possibilitatis, *nego*.

67. PROPOSITIO III.^a *Intrinsica rerum possibilitas ex ipsis rerum essentiis emergit.*

Prob. Intrinsica rerum possibilitas tota continetur in sociabilitate idearum diversas entitates exhibentium. Cur enim quædam idæe sociabiles sunt? Profecto quia entitates, quas ipsæ repræsentant, *sunt id, quod sunt*; si enim aliter se haberent, possent insociabiles esse. Ergo interna possibilitas et impossibilitas ex rerum essentiis dimanat. Ut exemplo utar, unde exurgit circuli aurei possibilitas? Sane ex eo, quod essentia circuli nihil habet, quod excludat esse aureum. E contrario quid est, quod facit circuli quadrati repugnantiam? Nihil aliud quam hoc, quod constitutiva essentiæ circuli excludunt constitutiva essentiæ quadrati.

68. Hinc sequitur, quod supra (Disput. 4.^o) de essentiis

dictum fuit, scilicet, possibilitatem intrinsecam esse *infinitam; immutabilem; necessariam; æternam*, etc.

69. Verumenimvero essentiarum metaphysica realitas, et intelligibilitas, ex quibus possibilia consurgunt, in ipsa divina Essentia *radicaliter*, et in divino Intellectu *formaliter* æternum ac necessarium fundamentum habent. Videamus quomodo. Quæstio est hæc perjucunda, quâ S. P. Augustinus adeo fruebatur.

70. PROPOSITIO IV.—*Rerum intrinseca possibilitas, et omnis earum intelligibilitas dependent FORMALITER à divino Intellectu, RADICALITER vero à divina Essentia, quatenus est objectum necessarium et adæquatum divini Intellectus.*

Prob. 1.^o Deus est actus purissimus et perfectissimus, pelagus infinitum omnium perfectionum. Ergo est necessario intelligens, imo ipsa essentialis intelligentia. Ergo seipsum necessario cognoscit et perfectissime comprehendit, imo ipsa sua divina Essentia est sua ipsius Intelligentia. Ergo seipsum in seipso Verbo mentis substantialiter exprimit. Atqui cum sit perfectio infinite bona, est miris, varis verisque modis imitabilis ad extra per creaturas, et hoc Ipse necessario cognoscit, quatenus est intelligentia, et hoc ipsum exprimit essentialiter in verbo mentis. Ergo divina Essentia est exemplar radicale, et divinus Intellectus, seu divinum Verbum exemplar formale omnium possibilium.

Confirmatur hoc antecedens à S. P. Augustino «Fabri facit arcam, ait ipse (1). Primo in arte (mente) habebat arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non esset, unde fabricando illam proferret: Sed arca sic est in arte, ut non arca ipsa sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in

(1) *Tract. 1. in Johan. sub finem.*

»opere, numquid destitit esse in arte? et illa in opere facta
»est, et illa manet quæ in arte est: nam potest illa arca
»putrescere, et iterum ex illa quæ in arte est, alia fabri-
»cari. Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere.
»Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia
»vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam pro-
»ferantur. Sic ergo, quia *sapientia Dei*, per quam facta
»sunt omnia, secundum artem *continet omnia*, antequam
»fabricet omnia: hinc quæ fiunt per ipsam artem, non
»continuo vita sunt, sed *quidquid factum est, vita in illo*
»*est.*»

Jam vero: Si quidquid factum est, non esset in Deo modo explicato, Deus in rebus creandis ab alio penderet, penderet ab exemplaribus ab eo extraneis et independentibus, et quod magis est, hæc exemplaria essent necessaria et æterna, quia æterna et necessaria est rerum interna possibilitas; essent igitur præter Deum et independentia à Deo alia entia æterna, necessaria etc.; quod est absolute impossibile. Ergo omnium rerum essentia et intelligibilitas dependent à Deo; ab Essentia, tamquam exemplari radicali, ab Intellectu, tanquam exemplari formali.

Confirmatur verbis Lesii (1). «Hanc possibilitatem (in-
»trinsecam) habet res quodammodo à Deo, non quidem per
»actionem aliquam liberam vel necessariam, quâ Deus rem
»illam in esse possibili producat (esse enim possibile, qua
»tale, non potest esse terminus productionis, non potest
»habere causam effectivam), sed habet eam à Deo tam-
»quam à causa quasi exemplari. Essentia enim divina,
»quatenus est tali modo imitabilis et communicabilis, est
»ratio per modum radicalis ideæ, cur humana natura sit
»possibilis, et habeat tale esse objectivum et potentiale.
»Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaqua

(1) *De perfectionibus divin. cap. 2. n. 10 et 11.*

»ipsa Essentia est prima radix omnis *esse* objectivi et possibilitatis intrinsecæ omnium possibilium: et *omne esse objectivum possibilium pendet ab Essentia divina tamquam à prima et originali omnium idea*, à qua singula suam speciem et rationem conceptibilem in suo gradu et ordine varie limitatam habent, modo jam explicato. Unde si Deus non esset, nihil esset possibile, nihil conceptibile, nihil intelligibile: nulla esset rationum conceptibilia repugnantia, aut consensio: quia ipsæ rationes conceptibiles nullo modo essent, nec haberent esse objectivum..... Itaque omnia possibilia continentur in Essentia divina tamquam in *originali radice*, et quasi in *exemplari virtuali et radicali*: in Sapientia, tanquam in *exemplari formali*, in quo etiam existunt objectivè modo perfectissimo et illustrissimo; magis enim ibi fulgent, quam in suis naturis creatis; in Potentia, tanquam in *causa effetrice*.

Prob. 2. Omnis realitas metaphysica et abstracta antequam actualitatem mentalem et logicam in aliquo intellectu sortiatur, aliquam essentiam realem, tanquam sui fundamentum, necessario supponit; nam intellectus non facit id, quod intelligit, ut patet, sed illud reperit ac deprehendit. Atqui possibilia actualitatem suam non physicam in propriis suis naturis, sed mentalem et logicam, necessariam, immutabilem et æternam habent in divino Intellectu. Ergo eorum intelligibilitas ab aliqua physica essentia, eaque æterna procedat necesse est. Sed talis essentia nulla est, praeter divinam. Ergo à divina Essentia dependent tanquam à fundamento, et à divino Intellectu tanquam ab arte (1).

Omittimus plura, quæ afferri possent. Consulte auto-

(1) Cons. S. Th. Sum. Cont. Gent. l. 1. c. 54. et Theol. l. p. q. 15. art. 2.

res infra citatos (1). Concludamus cum illis verbis, quæ cœcinit Boëtius.

. *Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formas (2).*

71. *Notate.* 1.^o Diverso plane modo possibilia sunt in divina Essentia, et in Intellectu. In divina Essentia sunt tamquam in *exemplari virtuali et radicali*, nullo autem modo tanquam in exemplari formali; hoc enim modo sunt in Intellectu, quatènus divinus Intellectus comprehendens perfectissime divinam Essentiam, videt et perfectissime cognoscit diversos modos, secundum quos Essentia est imitabilis ad extra, licet imperfectissime, et ab eadem Essentia *toto genere* diversos: qui modi existunt quasi termini ad extra, et de quibus sunt in divina Mente ideæ archetypæ. Unde

2.^o Eæ ideæ solum sunt plures ratione horum terminorum; minime vero in divino Intellectu, qui est ipsa divina Essentia, actus purissimus et simplicissimus; seu, ut Scholæ loquuntur, sunt plures divinæ ideæ *terminative*, non vero *entitative*. Unde

72. *Collig.* 1.^o Omnis necessitas, immutabilitas, et æternitas, quam rerum possibilitas præ se fert, ab æternitate, immutabilitate, et necessitate divinæ Essentiæ promanant.

Coll. 2. Quamvis *immediate* noster intellectus esse objectivum possibilium ab ipsis rebus haurit, *remote ta-*

(1) S. P. Aug. *Tract. 1—2—3—in Joan.*; S. Thom. I. cit. et 1. p. q. 44. a. 3.; Suarez, *Metaphy. Disp. 23. Sect. 1. n. 33., et Sect. 2. n. 11.*; Lessium l. cit.; Fenelon, *De existentia Dei*, p. 2. cap. 2.; Bos-suet, *De Cognit. Dei et sui ipsius*, Cap. 4.

(2) *De consolatione phylosophiae*. lib. 3. met. 9.

men et mediate ab ipsa divina Essentia exhaustit, cum sint quædam divinæ Essentiæ assimilationes et imitationes.

Coll. 3. Denique. Noster intellectus, cum res sive existentes, sive possibles apprehendit ac contemplatur, ipsas Dei ideas archetypas contemplatur; non quidem in se ipsis, nec per radios, ut ita dicam, directos, sed per radios reflexos; nempe in rebus creatis, quæ Summi Opificis ideas in se referunt, quantum nempe exemplar perfectissimum ex iis, quæ juxta illud facta sunt, utcumque cognosci potest (1). Jucundissima veritas, quæ nos ad res contemplandas stimulat, et movet ad adorandum earum æternum ac perfectissimum exemplar.

Solvuntur objectiones.

73. Hæc sententia videtur favere pantheismo: nam 1.° Essentia divina contineret essentias omnes: vel saltem 2.° res omnes, cum fiunt existentes, e divina educerentur Essentia. Nam cum res fiunt existentes, possibilia ipsa existentiam adquirunt, possibilia autem sunt in divina Essentia. Jam hæc omnia absurdâ sunt; ergo etc.

Resp. Hæc non nisi imperitissime objici possunt. Nam, possibilia *formaliter sumpta non sunt in divina Essentia*, præcise prout imitabilis ad extra, sed *rationem sui* habent ac *radicale fundamentum* in ipsa divina Essentia extrinsecus imitabili. Attendite solutionen in forma. Ad 1.º *Dist.* Divina Essentia ect.; contineret eas *realiter, nego*; contineret tamquam exemplar, *subdist.*; tamquam exemplar *virtuale et radicale, conc.*; tamquam exemplar *formale, nego*.

Formale enim exemplar continetur *ideis* divini Intellectus; nec profecto *iis* continetur secundum realitatem,

*but deindeq; mutuo non dicit se et obiectu x; mutuam sup
—
ergo non intelligitur, neque non intelligitur iste mutuus
de intellectu sicut, met, intellectus non posset esse nisi E. tunc ipse*

(1) Cons. S. P. Aug. *Loc. cit.*, et *Libros de Trinitate*.

ut ita dicam, subjectivam idearum ipsarum, quæ *realitas idem* est ac divina *Essentia*, sed secundum *terminum*, quem *ideæ repræsentant* (71—2.^o).

Ad 2.^m Dist. Res omnes cum fiunt etc. *Dist.* Quatenus creantur in similitudinem (licet imperfectissimam, *totoque genere* diversam,) divinæ *Essentiæ cognitæ* ab *Intellectu* ut est imitabilis extra se, (non ex hoc præcise) *concedo*; quatenus aliquid rerum ex ipsa divina *Essentia* educeretur, *nego*.

Ad rationem add. Dist. maj. Hoc sensu, quod res fiant ad instar possibilium, *conc.*; quod possibilitas ipsa sit quasi materia, ex qua res formantur, *nego*.

Obj. instando. Ergo Deus cognoscit per abstractionem, quod opponitur ejus *perfectioni*.

R. Nego. Non enim per abstractionem rationum diversarum ab *Essentia sua* Deus possibilia cognoscit, sed per *Essentiæ suæ perfectissimam comprehensionem*, quâ fit, ut non solum Eam cognoscat ut est in se, et in se Ipso æterna generatione exprimit, sed etiam secundum quod participabilis est per plures ac diversas sui similitudines.

Inst. Saltem ex hoc sequitur, in Deo esse plures ideas, quod adversatur ejus *simplicitati*.

R. Dist. Sunt plures *ideæ*, id est, plures perceptiones, et modificationes, *nego*.; id est, plures termini unius ac simplicissimæ cognitionis, *conced*. Una enim ac simplicissima cognitione, quæ realiter est ipsa *Essentia divina*, Deus et se, et possibilium omnium rationes cognoscit.

Obj. 2. Hæc doctrina lædit conceptum creationis; res enim non crearentur ex nihilo; ergo etc.

R. Nego ant., et ejus prob. Notio creationis nihil aliud importat, nisi quod nulla præcedat physica *realitas*, ex qua tamquam ex *subjecto* res fiat; non autem postulat, ut interna rei possibilitas non præjaceat, quinimo eam prærequirit. Exinde tamen non sequitur, rem, quæ *creatur*, ē *nihilo non educi*; nam per actum creationis, res neque fit,

neque extrahitur ex ipsa possibilitate interna, quæ eadem semper remanet, sed revera ex nihilo conditur (1).

Obj. 3. Concipi potest, et revera concipitur interna rerum possilitas, etiam præscindendo ab Intellectu et Essentia divina. Ergo hæc possilitas rationem sui non habet in Intellectu et Essentia divina.

R. 1. Retorquo argum. Concipi potest, et revera concipitur existentia rerum, quæ hunc mundum aspectabilem constituunt, etiam præscindendo à prima rerum omnium causa; ergo existentia mundi non habet causam.

R. 2.º Dist. Si de possilitate tantum cogitamus et non de ejus natura investiganda, *conced.* Si ejus cogitamus et investigamus naturam, *nego.* Ratio concessi est ex prop. 3.º n. 67.; ratio negati sumitur ex dictis in hac prop.

Inst. Possilia saltem à divino Intellectu non pendent; nam axioma est, non ideo aliquid esse cognoscibile, quia cognoscitur; sed ideo cognosci, quia cognoscibile.

R. Dist ant. Possilia ab Intellectu divino non dependent primario, seu radicaliter; *conced.*; secundario et formaliter, *nego.* *Ad rationem add.*, seu axioma; *R.* Divinus Intellectus habet objectum necessarium et adæquatum, quod est divina Essentia, in qua etiam secundario perspicit omnia possilia virtualiter, et radicaliter contenta, quod sufficit, ut cognoscat terminos illam aliquo modo possibiliter imitantes.

ARTICULUS SECUNDUS.

De proprietatibus transcendentalibus entis earumque oppositis etc.

74. De entis et rei notione dicta breviter sunt, quæ scitu necessaria videntur, agendum nunc de tribus affec-

(1) Cons. S. P. Aug. *Tract. 1. in Johan.*

tionibus, seu proprietatibus, quæ per se ac proprie conve-
niunt omni enti, *unitate*, *videlicet*, *veritate*, et *bonitate*,
quæ ex rei natura ab ipso ente non distinguuntur; sunt
enim ipsum ens re, at sub diverso respectu ac ratione
consideratum; de *aliquid* nihil speciale dicendum venit.
Quoniam autem oppositorum eadem est ratio, agemus etiam
de *multitudine*, *falsitate* et *malo*; atque de iis, quæ cum
illis connectuntur; *numero*, *indentitate* et *distinctione*; de
pulchritudine, de *gratia* et *sublimi*.

DISPUTATIO 7.—*QUID SIT UNUM, QUID UNICUM.*—OMNE
ENS EST UNUM.—*VARIÆ UNITATUM CLASSES ET DIVISIONES.*

.—*DE PRINCIPIO INDIVIDUATIONIS.*—*QUID MULTA,*—*QUID
NUMERUS SIT.*

75. *Unum* definitur: *Ens, quod est indivisum in se.*
Quare unitas neque est aliquid ab ente rē ipsa distinctum,
neque aliquid positivi addit enti, sed solummodo denotat
negationem divisionis in ipsomet ente; cum enim divisio
in ente concipitur, tollitur conceptus entis unius, eique
succedit notio opposita *multitudinis* (1). Caveamus tamen
inifferre conceptum *unius* esse negativum. Nam unum,
cum significet ens, quod est indivisum, significat prin-
cipaliter ens, sive substantiam; et secundario negatio-
nem divisionis, ac proinde ejus conceptus non est nega-
tivus, sed affirmativus (2). Quocirca male definiunt unum
illi philosophi, qui addunt: *et divisum à quolibet alio;* nam
tunc non conceptus *unius*, sed *unius ex multis; unius inde-*
terminati exprimitur, qui conceptus voce *aliquid* de-
signatur.

76. Propria hæc unius ratio valde differt ab alia hujus

(1) Cons. Scotum, *in lib. 1. Sent. Dist. 2. q. 2.*; S. P. Aug. *De Moribus Manich.* Lib. 2. c. 6. n. 8.

(2) Cons. S. Thom. 1. p. q. 11. a. 1.

vocis significatione, quam intendimus quando unum vocamus, quod unicum est, ut cum dicimus: *unus Deus; una Ecclesia*; tunc non unum, sed *unicum* significare intendimus; est porro *unicum*: *Quod ita unum est, ut in aliqua ratione cum nullo alio similitudinem habeat.* Unde *unicitas* est: *Negatio consortis in aliquo genere*, neque est, ut patet, communis entis affectio. His præstitutis sit:

77. PROPOSITIO. *Omne ens est unum.*

Prob. 1.^o Omne ens per suam essentiam est id quod est. Atqui essentia est id, quo unumquodque ens ab aliis distinguitur; ens autem ex hoc ipso quod ab aliis distinguitur, est indivisum in se. Atqui ens prout est indivisum in se, est unum. Ergo omne ens est unum (1).

2.^o Unumquodque ens vel est simplex, vel est compositum. Si est simplex, non modo est indivisum, sed etiam indivisible. Si est compositum, hoc ipso indivisum est; etenim si est divisum, jam non est amplius compositum; non igitur ens, sed plura entia erit. Ergo omne ens est unum.

78. Est autem manifestum, rem eamdem posse esse secundum aliquam rationem unam, et secundum aliam multa. Sic spectatâ rei essentiâ, hæc est una; spectatis partibus essentialibus, vel integralibus, potest esse multa. Itemque universale est unum actu, multa in potentia etc.

79. Quoniam unum cum ente convertitur, et entium plura sunt genera, plura etiam genera unitatis à se discriminari oportet. Veniunt:

1.^o Unum unitate *simplicitatis*, (aliis unitas metaphysica) et dicitur illud, quod non solum *actu* est indivisum, sed etiam *potentia*. Hæc unitas entibus simplicibus convenit, siquidem ipsa, cum careant partibus, non solum re

(1) Cons. S. Thom. *Quodlib. 6.* à 1.

ipsa non sunt divisa, sed ne dividi quidem possunt. Hæc unitas autem major, vel minor est, quo majori, vel minori simplicitate ens gaudet. Hinc Deus est maxime unus. Dei unitas etiam vocatur *simplicissima*; Deus enim neque ex partibus constat, neque pars esse potest ullius compositi, neque modificationibus ullis suscipiendis obnoxius esse potest. Non ita anima humana, quæ, quamvis *simplex* omnino sit, tamen est obnoxia modificationibus, et potest ut pars cum alio concurre ad unum efficiendum.

2. Unum unitate *compositionis* (aliis unitas physica), et dicitur illud, quod prodit ex conjunctione plurium, quæ ad unum compositum constituendum naturâ ipsâ ordinantur; est igitur indivisum *actu*, divisum *potentia*; ita homo actu ex anima et corpore est unum; ita omnia corpora.

Illud autem advertendum est, hanc unitatem *compositionis* ad illa entia proprie pertinere, quæ constant ex partibus, quarum una ab altera, veluti potentia ab actu, perficitur, quæ idcirco unicam substantiam completam constituunt, unamque existentiam habent: quibus igitur, sicut et entibus compositionis expertibus, unitas *per se* convenire dicitur.

3. Huic proxima venit unitas *artificialis* ex iis constantes, quæ ad tale unionem naturâ non ordinantur, habent tamen ordinem aliquem, nexusque inter se ex hominis dispositione et arte; hujusmodi unitas est v. gr. in domo, vestimento, horologio etc.

Hujus speciei est unitas *moralis*, quæ est collectio plurium, quæ licet reapse distincta sint, juxta communem hominum aestimationem, ut quid unum spectantur, maxime si inter se aliquo rationali vinculo colligantur, ut civitas, familia, collegium etc.

4. Ultimo venit, unum unitate *aggregationis*, quod habetur, cum plura entia nulla physica unitione, nulloque inter se ordine conjuncta sunt, et solummodo contigua sunt, quia tenere congesta, ut lapidum acervus.

Unitas artificialis, et aggregationis, quarum partes una ab alia non perficitur, dicuntur unum *per accidens*.

80. Unitas, secundum quod rebus prædicatur, alia est *realis*, alia *rationis*.

Unitas realis est: *Quæ rebus convenit ex se, et ante omnem intellectus operationem.*

Unitas rationis est, quæ rebus convenit, prout hæ subsunt cognitioni intellectus abstractivæ et comparativæ (1), quâ universalia flunt, ac definiri potest: *Unitas conceptus repræsentantis naturam plurium.*

81. Unitas autem realis, vel est unitas in genere *quantitatis*, nempe *unitas mathematica*, ut est pars quæcumque in extensione sumpta, vel omnibus rebus conveniens; hæc est alia *individualis*, alia *formalis*; quæ binæ unitatis rationes, non quidem re, sed conceptu differunt.

Unitas *individualis* est in hoc, quod individuum secundum eam entis rationem, quâ unum est, non sit comunicabile multis tamquam inferioribus, ut accidit in idea universalium, unde individuum definitur: *Id, quod in plura talia quale ipsum est, dividi nequit.*

Unitas *formalis* est: *Indiviso ipsius essentiae*, nempe in plures essentias. Prædicata enim essentialia rei determinatæ, hoc ipso quod illius rei essentiam constituunt, unam constituunt essentiam, non plures. Sic essentia v. gr. hominis ex suis constitutivis una resultat, non plures.

Hinc, formalis naturæ unitas multiplicatur, prout multiplicantur individua.

82. Nunc venit considerandum principium individuationis, seu unitatis numericæ.

Plures fuerunt circa hoc philosophorum opiniones:

(1) Cons. Log. Append. de objecto idearum universalium.

Scotus individuum constitui dicit *haecceitate*, quam ita, extrinsecam esse naturae eique advenire (1).

Alii, quos ipse refert, principium individuationis posuerunt ipsam essentiam rei; quae positio admitti nequit, nisi velimus res ejusdem essentiae esse unam numericè.

Alii illud repetunt à collectione accidentium.

Alii à causa efficiente. Aristoteles (2), post quem S. Thomas (3) ejusque schola dicunt, principium individuationis esse in substantiis materialibus materiam cum ordine ad certas dimensiones, quod vocant *materiam signatam*; in substantiis spiritualibus incompletis *ordinem ad corpora*, ad quae designantur; in substantiis spiritualibus completis nullum esse, ajunt, principium diversitatis pure numericæ; unde concludunt, in iis substantiis tot esse species, quot individua.

Quamvis S. Thomæ auctoritas magni semper facienda sit, nihilominus verum credimus, quod de opinione hac scribit eximius Suarez (4) «Fundamentum hujus sententiæ, si rationem spectemus, fere nullum invenio, quod ad Aristotelis auctoritatem non revocetur». Consulte hunc auctorem (5). Sit itaque

83. PROPOSITIO. *Quod naturam individuam constituit, non est aliquid re distinctum ab ipsa natura, que fit individua, sed omnis natura individuatur per suam ipsam realitatem.*

Prob. 1.^a pars. Si id, quod naturam individuam facit,

(1) In 2. d. 3. q. 6.

(2) 5. Metaphy. c. 6. text., 12. et alibi.

(3) Sum. Th. p. 1. q. 3. a. 3., et q. 50. a. 4., Cont. Gent. c. 93 lib. 2.; 5. Metaph. lect. 8. et. alibi.

(4) Metaphy. Disput. 5. Sect. 3. paragr. 4. et 5. seq., et sect. 2. n. 23. seq.

(5) Locis c. (1)

re ab illa distinguitur, jam natura ipsa ab hac individuali differentia re præcisa constat. Hæc porro natura ita præcisa vel singularis est, vel universalis. Si singularis; ergo individua erat ante adjectam differentiam individuantem. Si universalis, habebimus universale à parte rei, quod repugnat.

Prob. 2.^a pars. Quæ tamen jam sequitur ex præcedenti. Unaquæque res est una numero per illud ipsum formale, atque intrinsecum principium, per quod est ens actu, et in physico rerum ordine constat. Etenim nullum ens actu est, aut esse potest, nisi quatenus unum numero ac singulare est. Sed omnis res per suam ipsam realitatem est ens actu; igitur per eamdem una numero et individualis efficitur. Ergo *quod naturam individuam constituit* etc.

84. Unitati opponitur multitudo; aliqua dicamus de hac ad claudendam Disput.

Multa sunt, quæ in aliquo entitatis genere divisionem habent: unde multitudo est: *Entium divisio*; quæ divisio non hoc modo est intelligenda, quod multa sint ea dumtaxat, quæ separata sunt, et nullo inter se nexu conjuncta, sed ita sane, quod multa sint ea, quorum unum non est aliud. Sic v. gr. partes, quæ totum constituunt, conjunctæ sunt et simul cohærent, et nihilominus sunt multæ partes, quia una pars non est altera. Unde etiam unitas compositionis unum constituit, item unitas artificialis et aggregationis constituunt unum quod per mentis abstractionem potest dividi in plura, id est, in partes per mentem separatas.

85. Cum mens multitudinem percipit et in unum colligit, ideam *numeri* format; numerus enim est: *Collectio unitatum*; seu *Multitudo quædam mensurata per unum*. Elementa porro, quibus numeri edea constat, hæc tria sunt: 1.^o *unitas*; nam unitatum aggregatio intelligi nequit, nisi idea præcedat unitatis: 2.^o *divisio*; etenim ea solum, quæ aliquo modo divisa sunt ab invicem, multa sunt: 3.^o *Simili-*

tudo aliqua, seu unitas logica multorum, vel secundum aliquam rationem determinatam, ut duo homines, tres equi, et tunc vocatur numerus homogeneus; vel saltem secundum indeterminatam entis rationem, ut cum dicimus simpliciter tria, quinque, sine hac enim similitudine unitates non possent in unum colligi, ut v. gr. si volumus multiplicare, vel dividere tres lapides per sex poma nihil efficimus, nisi ea consideremus tantum sub ratione entium, hoc in casu numerus vocatur heterogeneus (1).

DISPUTATIO 8.^a—DE IDENTITATE ET DISTINCTIONE;—VARIÆ UTRIUSQUE SPECIES ET DIVISIONES.—DE SIMILIBUS,—DE ÆQUALIBUS ET EORUM OPPOSITIS.—UTRUM DUO ENTIA PERFECTE SIMILIA POSSINT EXISTERE.—DE CAUSIS OB QUAS INTELLECTUS RES SUB DIVERSIS CONCEPTIBUS EXPRIMIT.—DE DIVISIONE INTER SUBSTANTIAM ET MODOS CONTINGENTES.—

DE OPPOSITIONE,—QUIT SIT, ET QUOTUPLEX.

86. Etsi præ oculis habeamus multa, quæ nobis tractanda sunt hac in Disputatione, tamen breviori stylo perspicuaque methodo selecta recipientes citè nos expediemus.

87. Identitas est: *Aliqua plurium unitas in entitate; plurium, videlicet, sive re, sive ratione distinctorum. Si ratione tantum distincta sunt, tunc habebimus identitatem propriæ dictam, quæ consistit in eo, quod ens cum se ipso consentit; ista oritur ex unitate entis; namque ex eo, quod omne ens est indivisum in se, sequitur omne ens cum se ipso consentire, ac proinde esse idem sibi (2). Si autem unitas plurium est ratione tantum, tunc habebimus identitatem impropriæ, et solum secundum aliquam rationem; differt à prima in eo, quod prima est absoluta, hæc autem relativa, supponit enim plura, quæ inter se comparata ad unitatem redu-*

(1) Cons. Balm. Filosof. Fund. lib. 6. c. 5. seqs

(2) Cons. Alb. Mag. Met. L. 10. c. 2.

cuntur; unde hæc ultima potest esse *essentialis*, vel *accidentalis*. Est *essentialis*, si plura conveniunt in notis, quæ constituunt eorum essentiam. *Accidentalis*, si conveniunt in eo, quod, salva natura, possunt habere, vel non habere. *Essentialis* subdividitur in *genericam* et *specificam*. *Genericè* identica dicuntur illa, quæ conveniunt in notis, quæ genus commune constituunt, ut *petrus* et *ejus canis*. *Specificè* identica sunt illa, quæ conveniunt in notis, quæ determinant genus ad aliquam communem speciem, ut *Socrates* et *Plato*, *aurus*, et *aurus*.

88. Identitas, sive propria, quæ etiam vocatur *numerica*, sive *impropria*, potest esse *metaphysica*, *physica*, et *moralis*.

Identitas metaphysica est in iis, quæ nihil amittere, vel adquire possunt, ut *in Deo*, et *in rerum essentiis*.

Physica est in iis, quæ quoad physicam realitatem in suo esse perseverant: sic *idem est sol*, qui *hodie lucet*, et *cras orietur*.

Moralis est in iis, quæ sibi constant in existimatione hominum, licet *physica ejus constituentia varientur*: sic *flumen aliquod dicitur idem*, etsi *aquis continuo sibi succendentibus confletur*; sic *hoc collegium*, quamvis *individua continuo sibi succedant*, *idem reputatur*.

89. Si plura conveniunt in aliqua *qualitate*, dicuntur *similia*, et eorum identias *similitudo*. *Triplex* est *ejus origo*, nempe vel *quatenus ejusdem qualitatis sunt participes*, ut *nix et lac* quoad *albedinem*; vel *quatenus qualitas in eodem gradu in eis invenitur*, ut *sapor unius pomi et sapor alterius*; vel *quatenus aliqua res particeps est illius qualitatis*, quæ *secundum ipsam suam essentiam in alia re est*, sic *ferrum igne candens*, *igni simile est* (1). Hæc postrema ratio *similitudinem inter creaturas et Deum constituit* (2).

(1) Cons. S. Tho. 1. 2. q. 52. a. 3.

(2) Cons. S. P. Aug. Lib. Qq. Octoginta trium, q. 51. n. 2.

90. Si plura convenientiunt in aliqua *quantitatis* ratione, hæc convenientia dicitur *œqualitas*; quæ *œqualitas* potest esse vel *dimensiva*, si in extensione, vel *virtualis*, si in perfectionibus convenientiunt (1).

91. Exorta est olim contentio inter philosophos, utrum duo entia perfecte similia, et quæ solo numero discreparent actu possent existere? Negabat Leibnius cum suis, argumenta ducens tum ex carentia rationis sufficientis pro duobus istis entibus in diversis locis sistendis, tum ab experientia in omnibus aliquam similitudinem patefaciente. Affirmant alii et quidem merito.

92. PROPOSITIO I.^o *Definiri nequit utrum, necne duo perfecte similia in mundo existant.*

Prob. Similitudo perfecta duorum entium expostulat ipsorum consensum tum in cunctis qualitatibus, tum in harum gradibus, tum in notis essentialibus et proprietatibus. Atqui haud possibile est et omnia, quæ in mundo sunt, observatione complecti, et ea, quæ observari possunt, adeo introspicere, ut non modo num in cunctis suis qualitatibus, sed etiam num in gradibus ipsarum consentiant, multoque minus in essentia præcise determinanda, nobis patescat. Ergo definiri nequit utrum, necne duo perfecte similia in mundo existant.

Nos h̄c loquimur de similitudine in universum sumpta; cæterum quamplurima perfecte similia utique cognoscimus.

93. PROPOSITIO II.^o *Impossibile non est, duo entia perfecte similia existere.*

Prob. 1. Deus potest facere omne id, quod nullam internam repugnantiam involvit. Atqui duo perfecte similia nullam internam repugnantiam involvunt. Ergo etc.

(1) Cons. Caj. Sansev. *Log. part. 1. c. 1. art. 7.*

Prob. min. 1.^o Per ipsos adversarios; nam isti concedunt duo similia nullam repugnantiam involvere; et merito concedunt. Nam

2.^o Illud, quod intrinsecam repugnantiam involvit, ne mente quidem cogitari potest. Atqui perfectam similitudinem duorum entium concipere nobis licet; nam qualitates, quae in una re sunt, in alia etiam, atque in eodem gradu ac in illa cogitare possumus, multoque magis quoad essentialia, quae profecto revera existunt. Ergo perfecta similitudo duorum entium non est impossibilis. Ergo possunt existere duo entia perfecte similia.

94. Cæterum argumenta, quibus nitebatur Leibnitius nihil evincunt: nam ad primum respondeatur, rationem sufficientem diversæ locationis istorum duorum entium in libera divinæ Voluntatis determinatione contineri: ad secundum vero reponitur, experientiam non haberi pro omnibus entibus in orbe existentibus; deinde etiamsi de facto non essent duo entia perfecte similia, non sequeretur, id fieri non posse; cum *ā non esse ad non posse non detur illatio*.

Cæterum ad ea discernenda sufficit, ut unum non sit alterum, nam non est idem, ut aduersarius perperam confundit, *identitas ac similitudo* (1).

95. Distinctio identitati opponitur; agendum igitur post dicta de identitate nobis superest *de distinctione, diversitate et oppositione*.

96. Distinctio est: *Aliqua unitatis carentia inter plura; posita est in eo, quod unum ens non sit aliud.*

Distinctio dicitur vel *absolutè*, vel cum *aliquo addito*.

Distinctio absolute dicta opponitur unitati, et identitati logicæ (87), estque negatio *esse* relativi, seu *negatio unius respectu alterius*, in eo simpliciter posita, quod unum

(1) Cons. S. Thø. in 1. lib. Sent. Dist. 19, q. 1. a. 1. ad 2.

non sit aliud. Hæc proprium sibi distinctionis nomen fecit; appellatur etiam *numerica*.

Distinctio dicta cum addito non modo significat unum non esse aliud, sed insuper significat, vel essentiam, vel qualitatem, vel quantitatem unius, non esse quantitatem, vel qualitatem, vel essentiam alterius.

97. Age nunc. Si significat essentiam unius, non esse essentiam alterius, opponitur identitati essentiali, et ea, quæ sic distincta dicuntur, si non continentur in eodem genere proximo, sunt *diversa*; diversitas enim est: *Carentia unitatis genericæ*, ut v. g. homo et lapis, aqua et ignis etc. Si vero continentur in eodem genere proximo, sed differunt notis specificis, sunt *differentia*; differentia enim est; *Carentia unitatis specificæ*, ut v. gr. homo et brutum; pirus et alga; piscis, et avis etc.

Hæc classificatio perspicua est, nullisque exposita difficultatibus.

Igitur ea, quæ in essentialibus conveniunt, quamvis in cæteris omnibus discrepent, sunt pure *distincta*, ita Personæ SS. Trinitatis solummodo sunt distinctæ ex oppositione relativa. Quæ non conveniunt in genere proximo, sunt diversa. Quæ in hoc conveniunt, sed non in specie, sunt *differentes*; et quæ solum discrepant per propriam sui realitatem, sunt *numericè distincta* (1).

98. Diversitas quoad qualitatem opponitur similitudini, et dicitur *dissimilitudo*; et etiam solet vocari *differentia*.

Diversitas denique quoad quantitatem opponitur æqualitati, et dicitur *inæqualitas*. Huc pertinent relationes majoris et minoris, aliæque id genus.

99. Transeamus jam ad varias distinctionis absolutè dictæ divisiones.

(1) Cons. S. Bonavent. in l. 1. Sent. Dist. 19. q. 1. a. 1. resol.

Ac primo, hæc distinctio duplex est admittenda, *realis*, scilicet, et *logica*.

Distinctio *realis* existit inter res, cum una res non est alia, sed duæ sunt res, et potest definiri: *Carentia unitatis inter plura objecta*.

Distinctio *logica*, seu *rationis*, existit, cum intellectus rem in se unam in varios conceptus distinguit, et potest definiri: *Carentia unitatis inter plures conceptus ejusdem rei*.

100. Utraque distinctio in alias subdividitur. Itaque:

Realis potest esse, primo: *adæquata* et *inadæquata*. *Adæquata* est, si unum cum altero secundum nullam sui partem sit realiter unum. Sic homo ab homine, à lapide, lapis à lapide, ab arbore etc. distinguitur. *Inadæquata*, si unum cum altero secundum aliquid realiter unum sit, secundum aliquid aliud non sit. Hoc pacto totum à parte una distinguitur.

Secundo: ratione terminorum, qui distinguuntur, potest realis distinctio esse *positiva* et *negativa*. Positiva intercedit inter res positivas ac reales, ut v. gr. inter *Petrum* et *Paulum*. Negativa intercedit inter rem et suam negationem, v. gr. *inter ens et non-ens*, *inter lucem et tenebras*; *inter conformitatem ordini morali*, et *ejus defectum*, et inter non-entia diversa, ut *cœcitatem inter et surditatem*.

Tertio: distinctio *realis* alia est *substantialis*, seu ut ajunt Scholæ, *realis absoluta*; *realis major*; *realissima*, et est ea, quæ versatur tum inter substantias separatas, ut *inter me et vos*, tum inter principia, quæ substantiam compositam constituunt, ut *inter animam humanam et corpus*, quia, quamvis unita substantiam completam efficiunt, tamen separata pergunt subsistendo; alia est *modalis*, seu, ut ajunt, *realis minor*, et ea est, quæ intercedit inter substantias et quemlibet earum modum, vel inter modos ejusdem substantiæ, ut *inter ceram ejusque rotunditatem*; *inter corpus ejusque motum*; *inter colorem et*

figuram. Realis absoluta omnem aliam realem distinctionem complectitur (1).

101. Veniamus ad distinctionem *rationis*, seu *logicam*. Diximus hanc esse *carentiam unitatis inter plures conceptus ejusdem rei*; seu aliis verbis est: *Rei unius multiplicitas, prouti subest mentis conceptibus*, v. gr. cum hominem considero ut substantiam, ut animal, ut rationalem, ut creaturam.

Duplex est haec distinctio rationis; una, quae in intellectu dumtaxat existit, vocaturque *pure mentalis*, et quam veteres vocabant *rationis ratiocinantis*: altera, quae dum opus intellectus est, in natura tamen rerum fundatur, et dicitur distinctio rationis cum *fundamento in re*, seu *rationis ratiocinatae*.

102. Prima fit a rationale, cum rem exprimit pluribus conceptibus, sed non diversis; in quo potius uno conceptu tanquam pluribus utimur, quam rem unam in plures conceptus dividamus, tota igitur est in nominibus; hac distinctione mens v. gr. utitur cum ideae definiti definitionem applicat, ut cum dicimus: *homo est animal rationale*; notae enim, quae constituunt conceptum hominis, sunt eadem, quae constituunt conceptum animalis rationalis.

103. Altera fit a rationale, cum rem unam eamdemque pluribus conceptibus iisdemque diversis exprimit, v. gr. cum intellectus distinguit in anima humana tria principia, scilicet, *rationale*, *sensitivum*, et *vegetativum*. Fundamentum hujus distinctionis in ipsa anima invenit, quamvis ipsa in se una sit: ita cum distinguimus in Deo varia attributa, quia notae v. gr. quae constituunt conceptum Justitiae, non sunt eadem ac quae constituunt conceptum Misericordiae etc. Horum igitur distinctio est mentalis cum *fundamento in re*, seu *rationis ratiocinatae*.

(1) Distinctio realis intercedit etiam inter res relative oppositas, quae ad instar separabilium possunt concipi, ut inter Personas SS. Trinitatis.

Duplex hujus distinctionis concipitur fundamentum, *intrinsecum*, scilicet, et *extrinsecum*. 1.^o *Intrinsicum*, et est virtus intrinseca, quam habet res aliqua varios producendi effectus, varios respiciendi terminos. 2.^o *Extrinsicum*, et sunt isti ipsi effectus, ac termini varii, quos res aliqua producit, vel respicit, et ex quibus mens nostra occasionem sumit distinguendi varias rei virtutes; hæc eadem distinctio dicitur etiam *virtualis*, atque etiam distinctio *penes diversa connotata*.

104. Intellectum nostrum distinguere in Deo varia attributa, et hæc ab Essentia ejus illa distinctione, quæ dicitur mentalis *cum fundamento in re*, seu *rationis ratiocinatæ*, dogma catholicum est; at utrum hoc fundamental sit tantum *extrinsecum*, an etiam *intrinsecum*, disputatur inter Theologos. Nullum video inconveniens ut unum et alterum admittatur (1). Utrum, præter has distinctiones, detur etiam alia, quam Scotus, vel potius Scotistæ invexerunt inter notas, seu entitates, vel, ut ipsi ajunt, *inter formas constituentes unam eamdemque essentiam*; et *inter totum ejusque partes actu conjunctas*, etc., quamque vocant *distinctionem formalem et à parte rei*, otiosis relinquimus. Ego ratum persuasumque habeo minimè dari talem distinctionem; nec dari illam virtualem intrinsecam in rebus creatis à nonnullis thomistis invectam. Claudeamus hanc conferentiam iis duobus.

105. PROPOSITIO III.^o *Ratio, quā fit ut una eademque res pluribus ac diversis conceptibus percipiatur, tum in intellectū imperfectione, tum in objectorum perfectione sita est.*

Prob. Mens nostra quidquid in re intelligibile est unica

(1) Cons. Pracl. Mag. Joan. Berti, *De Theolo. discipl.* lib. 2. c. 3.

conceptione exhaustire nequit ob magnam ejus limitationem; quod experientia probat, sed solum percipit paulatim ac per plures incompletas perceptiones res cognoscit. Atqui huic pluralitati perceptionum fundamentum præbet multiplicitas actuum, effectuum, relationum, quas objecta præse ferunt. Ergo, *ratio* etc.

106. PROPOSITIO IV.^a *Substantia à suis modis contingentibus distinguitur distinctione reali inadæquata et negativa* (100).

Prob. Substantia à modo distinguitur, ut substantia cogitata sine modo à substantia cogitata cum modo; seu ut substantia cogitata sine aliquo respectu à substantia cogitata cum eodem respectu. Modi enim tota realitas est ipsa realitas substantiæ, addito solummodo respectu ad aliquid aliud; etenim realitas modi non est aliquid reipsa applicitum enti, cuius est modus, sed est ipsa entis ejusdem realitas connotans aliquid aliud, cum quo ens confertur. Atqui hæc distinctio est inadæquata et negativa. Ergo *Substantia* etc.

107. *Dicitis:* Si tota mundi realitas est ipsa substantiæ realitas, quomodo possunt modi à substantia sejungi?

Respondeo; modos esse, ut diximus, respectus quosdam substantiæ, vel partium substantiæ. Modi autem contingentes non sunt in substantia vi essentiæ, sed ab actione aliqua, aut ab alicujus termini applicatione dependent. Idcirco si actio posita non fuerit, vel cesseret, si terminus non fuerit appositus, vel removeatur, ii quoque respectus deficiunt, quin tamen aliquid substantiæ realitati detrahatur. Ita v. gr. posita actione, quâ ceræ partes certo quodam modo disponuntur, cera, priore figura deperdita, fit rotunda, nulla realitate illi detracta, nulla adjecta.

Distinctio autem hæc realis dicitur ex eo solum, quod modus contingens connotat, præter substantiam, aliquid reale extra eamdem substantiam, nempe actionem aliquam

circa illam, vel terminum illi applicitum, ut modo dictum est.

108. Restat ut de *rerum oppositione* (1) aliquid innuamus; siquidem distinctio aliquorum (2) habentium unam naturam saltem generis esse non potest, nisi ratione aliquujus oppositionis; unde invenimus, quod cujuslibet generis differentiae sunt oppositae. Jam opposita ea dicuntur, quae sub aliqua ratione secum pugnant; et quoniam haec exclusio, sive pugnantia ex diversa ratione effici potest, diversi oppositionis species existunt. Enimvero oppositio rerum, vel ex *relatione* unius ad alterum, vel ex eo quod una alteram *excludit*, enascitur. Si primum oppositio dicitur *relativa*. Hujusmodi oppositio appellatur *minima*, quia distinguit tantum duo extrema, inter quae intercedit. Haec est, quae realem distinctionem inter divinas Personas constituit.

Sin alterum, id est, si una alteram excludit, tunc ea potest esse aut *contraria*, aut *contradictoria*.

109. *Oppositio contraria* existit inter ea, quae se ab eodem subjecto invicem expellunt; v. gr. contraria sunt *calor* et *frigus*, quia fieri nequit, ut idem corpus sit simul calidum et frigidum. Contrariorum autem alia sunt inter quae nullum est medium, ita ut alterutrum illorum subjecto inesse necesse sit; alia vero sunt, inter quae unum, vel plura media sunt, ita ut necesse non sit alterutrum subjecto inesse. Prioris generis sunt contraria *par* et *impar*, quia numerum aut parem, aut imparem esse oportet; posterioris autem generis contraria sunt *albedo* et *nigredo*, quia plures alii colores inter istos medii sunt, ideoque necesse non est, ut corpus aut album, aut nigrum sit; ita in corporibus variæ figuræ geometricæ.

(1) Loquimur de oppositione rerum, non de oppositione enuntiationum, de quâ egimus in Logica.

(2) S. Tho. qq. disput. De pot. q. 10. a. 5.

Opposito contradictoria est repugnantia inter ens et non-ens: quare contradictoriæ opposita ejusmodi sunt, ut nullum medium inter ea existere possit, quia nihil medii est inter *esse* et *non-esse*; inter *si* et *non*.

Denique est oppositio *privativa*, quæ est inter aliquam qualitatem, quam natura alicujus objecti expostulat, et illius qualitatis defectum, v. gr. inter visum et cæcitatem in homine (vid. disp. 1. n. 8) (1).

Doctrinam distinctionum, quam in hac Disputatione persequuti sumus uni Pantheistæ solum inficiari possunt.
D. q. d. e.

DISPUTATIO 9.^a—DE VERITATE TRANSCENDENTALI,—IN QUO CONSISTAT.—UTRUM OMNIA, QUÆ SUNT, VERA SINT.—DE FALSITATE,—NULLA FALSITAS ABSOLUTA.—QUOMODO RES DICANTUR FALSÆ.—REFUTANTUR PROGRASSISTÆ.

110. Descriptio veritatis, quam in Logica assumpsimus (Lect. 32. n.^o 226), nullatenus mutanda est cum de entium veritate quæritur. Itaque cum spectet *esse* rerum, prout istud ad intellectum aliquo modo refertur, veritas in universum considerata definitur: *Adæquatio*, sive *Convenientia intellectus et rei*.

Jam, res ad intellectum referri possunt, vel quatenus ab illo dependent et producuntur, vel dumtaxat quatenus ab illo cognoscuntur. Si primo modo referantur, tunc intellectus habet rationem *mensuræ*, et res, quæ ab illo dependent, *mensurati*; in tantum enim res sunt veræ, in quantum conformes existunt alicui intellectus conceptui, et adæquant eorum exemplar in intellectu, à quo dependent, existens. Si vero secundo modo, res habent rationem *mensuræ*, et intellectus *mensurati*: hoc modo enim est veritas in intellectu, et veros dicimus conceptus, si rem adæquent; quia tunc ille intellectus, qui adæquat rem, quæ ab ipso

(1) Caj. Sansev. *Elementa philosoph. Christ.* cum etc. cap. 2. art. 7.

non dependet, conformis evadit illi, à quo res dependet. Hæc est veritas *logica*, quæ igitur posita est, ut in *Logica* dictum fuit, in convenientia conceptionum intellectus nostri cum rebus, quas repræsentat et cognoscit.

Illa altera est veritas *metaphysica*, seu *transcendentalis*, ad cuius rationem duo requiruntur, et sunt *entitas rei*, atque *adæquatio ejus ad intellectum à quo dependent*; quorum primum est fundamentum veritatis, alterum est ejus essentia, sive, ut ajunt, *ratio formalis*; sub primo respectu, id est, ut fundamentum, eam definit S. P. Augustinus cum dixit: *verum est id quod est* (1).

111. Itaque res dupli modo veræ dici possunt: 1.º *perse et absolute*; 2.º *per accidens*, et secundum *quid*.

Per se, et absolute res veræ sunt per comparationem ad intellectum illum, à quo dependet earum constitutio; si videlicet archetypas ideas adæquent, ad quarum exemplar conditæ sunt. Sic res omnes, sive naturales, sive artificiales veræ sunt comparatae ad divinum Intellectum, in quo, modo supra dicto, sunt omnia possibilia, quæ necessario similitudinem æternarum idearum, quæ de ipsis, ut termini, in Mente divina sunt, adamussim assequuntur. Etiam res artificiales, quæ à creatis agentibus fiunt, veræ dicuntur per comparationem ad intellectum artificis, si præconceptam ab illo ideam exacte referant.

Per accidens vero, et secundum quid rebus veritas tribuitur in ordine ad intellectum, à quo non dependent, in quantum natæ sunt de se formare veram in tali intellectu existimationem.

Unde rerum veritas minime dependet ab humano intellectu, sed ab Intellectu divino, ad quem necessario esse rerum refertur, et à quo per se et essentialiter dependet. Etenim quæcumque sunt, vel esse possunt, sive naturalia sive artificialia, in tantum hoc habent, in quantum intrin-

(1) Lib. 2. Soliloq. c. 5.



seca possibilitate gaudent, quæ utique non ab humano, sed à divino Intellectu repetenda est, ut supra probavimus (Disput. 6. n. 7. prop. IV.^a). Ad intellectum vero humanum referuntur res per accidens; cum autem dicimus, res artificiales mensurari ab intellectu artificis, et ad ipsum referri, hoc nihilominus debet intelligi, in quantum intellectus artificis determinat ac combinat elementa, seu constitutiva alicujus artefacti, sed quod talia elementa et constitutiva consociabilia sint, et conjungi possint ad artefactum efficiendum ab illo minime dependet. Unde etiamsi intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur veræ in ordine ad Intellectum divinum. Sed si uterque intellectus, quod est impossibile, intelligeretur auferri, nullo modo ratio veritatis remaneret (1). Ex his colligitur:

1.^o Quotiescumque res veræ à nobis dicuntur, veræ semper dicuntur per comparationem ad ideas intellectus nostri; nam ideas archetytas sive Dei, sive artificis non intuemur.

2.^o Igitur ut aliquid verum dicamus, oportet, ut de illo ideam claram et distinctam habeamus.

3.^o Colligitur, rerum veritatem esse ipsam earum realitatem addito respectu ad conceptum intellectus, cui hæc realitas conformis est. Quocirca verum ab ente differt per solam mentis considerationem. His breviter præjactis sit

112. PROPOSITIO. *Quidquid est in natura rerum est verum. Sive: Omne ens est verum.*

Prob. Veritas rerum naturalium in consensu sui cum Ideis archetypis, seu exemplaribus Intellectus divini posita est. Atqui res naturales accuratissime respondent exemplaribus, secundum quæ Deus illas condidit. Ergo quidquid in natura rerum est, verum est.

(1) Cons. S. Thom., quo melius nemo de veritate disserit, QQ. disputat. de verit q. 1. art. 1.—et 2.; et in Perihermenias, lib. 1. Lect. 3.

Prob. min. Si res naturales non accuratissime responderent exemplaribus, secundum quæ Deus illas condidit, dicendum foret, Deum aut nescivisse, aut non potuisse res condere, quales in se intelligit. Atqui illud infinitæ Sapientiæ, hoc infinitæ Potentiæ Dei repugnat. Ergo repugnat res naturales non accuratissime respondere exemplaribus, quæ in Intellectu divino ab æterno sunt (1).

Hoc etiam intelligendum est de hominum operibus, quæ talia sunt, qualia à Deo in prædeterminatione et causæ potentia, et per visionem futurorum liberorum actuum cognoscuntur.

Hinc scite à Scholasticis sanctum fuit: *verum cum ente converti; scilicet; omne verum est ens; quia veritas rei, ut diximus, in entitate rei fundatur, et omne ens est verum; quia omne ens ordinem ad Intellectum divinum necessario habet.*

113. Opponi possunt monstra, et alia, quæ deficiunt in natura. Sed 1.º hæc omnia perfectissime adæquant ideas Dei ea perfectissime cognoscentis, et ad inscrutabiles fines dirigentis, quæque aliunde in deficientia causarum secundarum rationem immediatam habent, quam deficientiam Deus nec tenet, nec vult tollere.

114. Veritati opponitur *falsitas*, quæ describi potest: *Inadæquatio rei et intellectus; seu: Difformitas rerum ab intellectu.* Ex dictis patet nullam falsitatem metaphysicam, seu transcendentalem in rebus inveniri posse, et si quæ res falsæ dicuntur, id veluti *improprie* dictum accipiendum esse, nempe, ut ait S. Thomas, in ordine ad *intellectum nostrum*, ad quam per accidens referuntur (2). Igitur, si res referantur ad intellectum humanum, quo-

(1) Caj. Sans. *Ontol.*

(2) *Qq. Disput. de Ver.* q. 1. a. 1.

dammodo falsæ dici possunt, quia sunt quædam, quæ etsi vera in se sint, tamen ita naturâ suâ cōparata sunt, ut sensibus nostris quæ non sunt, aut qualia non sunt apparetur queant, et occasionem præbere, ut de ipsis falsum judicium formetur.

Ita auricalcum per se, non secus ac aurum, est verum, quia natura ejus, non secus ac auri, exemplari mentis divinæ consentanea est; at quia speciem, seu similitudinem auri habet, proindeque occasionem præbet intellectui nostro, ut illud esse aurum judicet, falsum quodammodo dici potest. Aliquando etiam hoc potest evenire ex falso præjudicio; scilicet, si habemus erroneum judicium de aliqua re, v. gr. de Deo, et credimus Deum esse id, quod non est, hoc erit falsus Deus. Ex his deducitur

1.^o Res non dicuntur falsæ *simpliciter*, sed solum *secundum quid*.

2.^o Falsitas et error sunt nihil privativum, seu negatio ejus, quod in nostro intellectu debuissest esse.

115. Sæpe dicitur: veritatem esse *unum*, et *indivisibilem*, quæ loquutio, si non bene intelligatur, Ontologismo, et ideo pantheismo viam parare potest Itaque cum dicimus veritatem esse *unam*, hoc debet intelligi *primo et principaliter* respectu ad illam summam veritatem, Deum, qui est regula et mensura, principium, radix et fundamentum omnium quæcumque sunt, per ordinem ad cuius Intellectum vera sunt, qui unus et immutabilis est; etenim *secundario et minus principaliter* plures sunt veritates; quia esse cujusque rei, quod est fundamen*um veritatūm*, est absolute distinctum ab *Esse Dei*; et i*n*en intellectū*ū* creati, qui esse rerum cognoscit, quamvis *partedam* par*icipatio* luminis increati, est tamen multi*ac distinc*tum à lumine in*creato*, et per plures concep*it* res attingit. Dicimus veritatem *indivisiblem*; primo *Intellectū* divini, à quo omnia habent esse vera*re* secundo respectu fundamenti veritatis, quod est ipsa *res rerum*,

quod quidem indivisibile est, nec augeri nec minui potest, quin destruatur (1).

116. Non abs re erit recentes propugnatores progressus indefiniti, qui, veritatem numquam immotam et fixam existere, sed pro qualibet ætate variari et perfici, arbitrati sunt; quique, ut boni philosophi, confundunt progressum et perfectibilitatem intellectus humani, cum progressu et perfectibilitate ipsarum veritatum. Tanta est eorum insipientia, ut sibi blandiantur humanum intellectum esse omniscium, nullisque tenebris et erroribus obnoxium, ideoque quod perfici debet non est intellectus, ea, quæ sunt aut esse possunt, investigando, sed ipsæ veritates (2). Contra quos sit

PROPOSITIO. — *Veritas, quæ est objectum intellectus humani, capax mutationis et progressus esse nequit.*

Prob. Veritas nostrarum cognitionum posita est in conformitate cum rebus, et earum adæquatione, quas repræsentat, ac proinde in ipsa realitate rerum fundamentum habet. Veritas enim, ut ait S. Thomas (3), quæ in anima causatur à rebus, non sequitur existimationem animæ, sed existentiam rerum; ex eo enim quod res est, vel non est, oratio vera vel falsa dicitur. Atqui realitas rerum, cum in exemplaribus divini Intellectus fundamentum habeat, immutabilis est, quemadmodum immutabilis est divinus Intellectus. Ergo veritas, quæ est objectum intellectus, seu illud, quod veritatis cognitionem constituit, mutationis et progressus capax non est.

117. Opponent progressus, qui quotidie in scientiis physicis, et mechanicis efficiuntur.

(1) Cons. S. Tho. *Sum. Th.* l. p. q. 16. a. 6.; et qq. *Disp.* q. 1. de ver. á. 4.; S. P. Aug. *Enarr. in Psal.* IX. n. 2.

(2) Cons. Mr. Bouvi, *Hist. Ph.* l. 10. á. 8.

(3) l. p. q. 5. a. 5.

R. Verum est; sed tunc minime veritas progreditur, aut perficitur in se; sed quod accidit est, quod intellectus humanus cognoscit, quod antea non cognoscebat, combinat, et ad effectum perducit quæ jam in se possibilia et vera erant; et hoc probat intellectum humanum mutari posse, progredi et perfici, quia ex ignorantia, aut errore ad veritatis cognitionem, vel ex leviori ad penitorem ejus cognitionem gradum facit (1).

DISPUTATIO 10.^a.—DE PERFECTIONE.—DE BONO,—DE MALO,—DE ORDINE,—DE PULCHRITUDINE,—DE GRATIA,—
DE SUBLIMI.

118. *Unumquodque (ens) dicitur bonum, in quantum est perfectum*, ait S. Thomas (2), *sic enim est appetibile*; ut igitur ratio bonitatis cognoscatur, opus est declarare notionem perfectionis, in quâ bonitas fundatur.

119. *Perfectum est id omne cui nihil deest eorum, quæ ipsi debent inesse ad ejus complementum*. Quæ autem enti inesse debent, ea sunt, per quæ fini suo asse-
quendo aptum efficiatur.

Quatuor requiruntur ut ens perfectum sit: 1.^o ut nihil ei deesit ex iis, quæ ipsum in suo esse constituant; ex hac parte omnia in sua specie sunt perfecta, ut patet: 2.^o ut nulla ei deesit pars quantitativa; sic ex hac parte perfectus erit homo, si nulla corporis parte careat, et habeat perfectam staturam etc.: 3.^o ut ens tanta virtute polleat, quanta ad operationes sui proprias exercendas opus ei est:

(1) Progresistarum doctrina jam profitebatur Prothagoras (480. A. c.) Cons. Cicer. *de Nat. Deor.* L. 1. n. 12—13. Sext. Emp. *adv. phy.* lib. 1. Sect. 56. Nec errores progressistarum inventare valent.

(2) Sum. Th. 1. p. q. 5. a. 5.

4.^o denique, si ita comparatum est, ut proprium sui finem sua operatione consequatur (1).

Realitates variæ, sive essentiales, sive non, quæ in ente esse debent, ut perfectum sit, constituunt ejus *perfectiones partiales*; cumulus earumdem realitatum constituit *perfectionem totalem*.

120. Perfectio totalis est *relativa*, vel *absoluta*.

Absolute perfectum est illud ens, quod necessitate absoluta, et ex sua ipsa essentia habet quidquid entis cogitari potest absque ullo limite. Solus Deus.

Relative perfectum est illud ens, cui nihil deest, quod ejus natura expostulet, sed cujus natura genere aliquo, et specie continetur, limitibus proinde circumscripta. Sunt omnes creaturæ. Perfectio relativa habet gradus, ut patet, absoluta minime.

121. Perfectiones partiales aliæ dicuntur *simplices*, aliæ *secundum quid*, seu *mixtæ*.

Perfectio simplex est ea, quæ nullam omnino exhibet in suo conceptu imperfectionem, neque privativam, neque negativam: seu aliis verbis, ea est, *quæ æqualem sibi, aut majorem realitatem non excludit*. Talis est vita, intelligentia, libertas etc.

Perfectio mixta est, quæ imperfectionem aliquam in suo conceptu involvit; quia, videlicet, *æqualem sibi, aut majorem perfectionem naturâ suâ excludit*. Talis est ratio propria corporis, ratiocinandi facultas etc.

122. Omissis, brevitatis gratia, aliis quamplurimis considerationibus circa perfectionem, transeamus ad notiōnem bonitatis. Ac primo ens, ut ex dictis patet, dicitur *perfectum* prout in se spectatur; dicitur *bonum* prout ad aliud refertur.

(1) Non loquimur h̄ic de fine supernaturali hominis, ad quem assequendum, eo ipso quod supernaturalis est, auxilio supernaturali indiget.

Notate in antecessum, concretum *bonum* pro abstracto *bonitatis* nomine frequenter usurpari.

123. Bonum, seu bonitas, est: *Quod est alicui conveniens*. Est autem alicui conveniens id, quod illius naturali tendentiæ, seu capacitatì conforme est et proportionatum. Quæ conformitas et proportio in ipsa rei, quæ bona dicitur, entitate ac perfectione fundatur. Quocirca cum aliquid bonum dicimus, ipsam rei entitatem ac perfectiōnem significamus, connotando simul inclinationem existentem in aliquo, ejusque naturalem tendentiam et capacitatē ad illam.

124. Experientia nos docet, omne ens naturaliter tendere ad assequitionem termini suæ operationis, quæ est perfectio naturæ; et ratio persuadet, omne ens ad aliquem finem à Deo conditum fuisse, et ideo non potuisse non accipere à providentissimo Auctore quamdam nativam necessitatē ac tendentiam ad ipsum per media proportionata; jam vero hæc necessitas, et tendentia idem est ac finem *appetere*; et donec ipsum naturalem finem assequatur, et in ipso conquiescat, est ens quasi in statu transitū et imperfectionis. Hinc est quod philosophi post Aristotelem (1) communiter *bonum* definierunt: *id quod omnia appetunt*: tamen hæc definitio simitur à posteriori, non enim ideo aliquid bonum est quia appetibile, sed ideo appetibile quia bonum.

Notiones boni, divisiones.

125. Hic sedulo animadvertere oportet, hominem conditum fuisse ad finem supernaturalem ad quem Deus, præter auxilia gratiæ, cæteraque dona, dedit ei invincibile desiderium, sed propter deordinationem ob originale peccatum inductam magnam habet inclinationem ad sensibilia etiam rectæ rationi opposita. Unde assumitur prima boni divisio in *verum* et *apparens*. Ut melius intelligatur

(1) 1. Ethi. c. 1.

iterum notate, quod quamvis sint in ente plures naturales inclinationes ac tendentiæ, *una* tamen est in unoquoque *princeps*, *quā* ad finem ipsius proprium dirigitur; et hæc præcipua in ente est, cui cæteræ omnes subordinari debent; jam hoc, quod tendentiam hanc principem explet, id affert enti perfectionem illi vere convenientem, eam nempe perfectionem ad quam naturâ suâ destinatur. Hoc ergo est *verum entis bonum*, quod ita definiri potest: verum bonum est: *Quod ens perficit relate ad suum naturalem finem.* Si vero aliquid explet aliquam partialem entis inclinationem, si principali etiam tendentiæ subordinatur, et ad finem concurrit, est etiam verum bonum: si vero non subordinatur tendentiæ principali, et ens à fine naturali avocat et retrahit, erit bonum *apparens*, re vera verum malum.

Itaque bonum apparens potest definiri: *Id, quod deordinatæ entis tendentiæ satisfacit eum à fine retrahendo.*

126. Secundo, ratio boni dividitur in *absolutam*, et *relativam*.

Bonum *absolutum*, seu *secundum se*, est quod per se appetitur, eo quod naturâ suâ enti congruat, ipsumque perficiat, ut sanitas, virtus etc.

Bonum *relativum*, seu *bonum alteri*, est quod habet perfectionem alteri convenientem, ut medicina ægroto, Deus omnibus.

Unum, et alterum potest esse, vel *physicum*, vel *mora*le, secundum quod affert enti perfectionem in ordine physico, ut vita, sanitas etc.; aut in ordine morali, ut scientia, virtus etc.

127. Communissima boni divisio est, quæ rationem boni dividit in *honestam*, *delectabilem* et *utilem*: quæ divisio est proprie boni humani.

1. Bonum *honestum* in generè est, quod enti convenit *per se* et *ratione sui*. Sumitur autem latius, vel pressius.

Lato sensu acceptum est, quidquid per sé naturam entis

perficit, ut est sanitas, virtus, scientia et ipsum esse. Hoc vocatur *bonum naturæ*.

Acceptum *stricto sensu* est, quod per se convenientiam habet cum natura rationali, quâ tali; id nempe, quod rationali naturæ perfectionem ipsi propriam confert; quæ in eo sita est, ut hæc in agendo æternæ rectitudinis regulæ se conformet; quæ rectitudo in tantum appetitur, quia decet, ac per se rationi consentanea est, talis est *vera virtus*, quæ, etiamsi nullum afferret oblectamentum, per se digna est amore naturæ intelligentis.

2.^o Bonum *utile* est, quod convenit enti, non ex se, nec propter delectationem, sed ratione alterius boni sive honesti, sive delectabilis, quod per illud obtineri potest. Talis est pecunia, aut equus, currus etc.

3.^o Bonum *delectabile* est, quod habet cum aliquo convenientiam, propter delectationem, quam ipsi affert. Delectatio est: *quies appetitus in re convenienti*: V. gr. Si quis animum recreandi causa dumtaxat rusticatum pergeret.

His breviter delibatis sit

128. PROPOSITIO.—*Omne ens est bonum.*

Prob. Omne ens est in essentialibus perfectum, quippe quod fieri non potest, ut quælibet res essentiâ suâ, ac proinde iis, quæ essentiæ respondent, nempe virtute agendi, et fine sibi proprio destituatur. Atqui ens, quatenus est perfectum, est appetibile, et quatenus appetibile est bonum. Ergo omne ens est bonum. Alio modo

Omne ens est bonum *secundum se*; quia omne ens necessario habet essentiale suam perfectionem, id est, omnia habet, quæ eum actu constituunt, et per quæ tale ens est. Atqui omnis perfectio est quædam bonitas. Ergo omne ens est bonum essentiâ suâ, seu secundum se.

Est etiam omne ens *bonum alteri*. Omne ens etenim vel est causa, vel effectus; vel est totum, vel pars; vel

est substantia, vel accidens. Atqui quidquid ex his sit, est bonum alteri. Ergo etc.

Prob. min. Causa cum effectu, totum cum parte, et substantia cum accidente naturalem proportionem habent, et vicissim, effectus cum causa, pars cum toto, et accidens cum substantia. Ergo quæcumque sit, est alteri bonum. Insuper, nihil est quod ad alterius entis perfectionem, pulchritudinem, usum, delectationem non conferat, uti paullum consideranti patet, quantumvis ignoremus multas rerum bonitates.

Hinc etiam patet *omne bonum esse ens*; quia bonum est perfectio; omnis vero perfectio entitas est. Ergo etc.

Cum dicimus aliquas privationes esse bonas, hoc intelligi debet ratione vel majoris privationis, ut mori melior est, quam peccatum admittere; vel ut conditiones ad bonum acquirendum, ut carere divitiis, ad pacem spiritus.

Antequam dicamus aliqua de pulchritudine expediamus nos ab opposito boni, quod est malum.

129. Malum, qua tale, est: *Privatio boni*; seu *Carentia perfectionis convenientis*. »Nihil aliud est malum, ait »S. P. (1) quam privatio boni, sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis.» Hæc *privatio*, seu *carentia ejusmodi* debet esse, ut natura entis eam expostulet, non ita tamen, ut ipsa sublata, res tollatur. Non est itaque aliqua realitas, aut affectio entis positiva; nam realitas, qua talis, est aliquid bonum, non malum. Neque est mera boni negatio; nam secus ea, quæ non sunt, mala essent; imo omnia quæ sunt, præter Deum, mala essent; quia perfectione aliqua carent. Est igitur malum negatio alicujus boni in subjecto, cui bonum ejusmodi convenit ac debitum est ex naturæ instituto. Hoc pacto negatio visus in statua, negatio prudentiæ in equo, negatio intellectus in lapide, mala non sunt, sed limes, seu

(1) August. *Solilo.* c. 5.

defectus naturæ debitus (1). Attamen, quamvis malum in se, si absolute spectetur, nihil sit, ratione subjecti et inclinationis ejus differt à nihilo (2).

Noteate. Cum dicimus v. gr. Petrus est cæcus, Johannes est amens, vel claudus etc., illud *est* minime denotat, cæcitatem, amentiam etc. habere aliquam realitatem in Petro, sed id, quod per cæcitatem, amentiam etc. significatur, cum Petro esse conjungendum.

130. Malum dividitur: 1.^o in *malum in se*, seu *secundum se*, et *malum alteri*; seu in *absolutum* et *relativum*.

Malum *secundum se* est: mera privatio boni debiti ad subjecti perfectionem; sic ægritudo est malum animalis.

Malum *alteri*, est quod in se bonum est, sed respectu alterius malum dicitur, eo quod alterum privat, aut pri-vare potest bono illi debito; sic justitia judicis, quamquam in se optima sit, tamen respectu nocentium mala nominatur, quippe quæ debitibus poenis eos plectit; sic agnolupus.

2.^o Malum dividitur, in *physicum* et *mora-le*.

Physicum est privatio boni naturalis (227—1.^o)

Malum *mora-le* est privatio boni moralis, et continetur in deficientia liberæ actionis à morum regula.

Addi solet post Leibnitium tertium membrum, scilicet, malum *methapysicum*, quod situm dicitur in ulterioris perfectionis defectu. Sed defectus iste improprie solum, et abusive vocari potest malum, cum non sit boni debiti defectus, sed potius necessarius omni creaturæ.

3.^o Dividitur malum, in malum *culpæ*, et malum *pœnæ*.

Malum *culpæ* est inordinatio in actione, vel omissione libera, ac proinde parentia rectitudinis, et perfectionis liberæ voluntati debitæ, ut est peccatum.

(1) *Supra* n. 8.

(2) Cons. S. P. Aug.—*De Morib. Manich.* L. 2. c. 4. n. 6. et *Contr. Jul. Pet.* L. 3. c. 24. n. 56.

Malum poenæ est carentia quælibet boni contracta et infecta ob culpam.

His prejactis sit

131. PROPOSITIO I.^a *Malum non potest esse nisi in subjecto bono.*

Prob. Malum est privatio perfectionis subjecto debitæ. Ergo malum supponit subjectum, cui aliqua perfectio debeat, et in hoc solo esse potest. Atqui omne subjectum est bonum, primo quia est ens; secundo quia si malum esset, deberet et ipsum inesse subjecto; et hoc alterum nisi bonum sit, in alio insit oportet, et ita in infinitum. Ergo malum etc.

Præterea, subjectum nulla ex parte bonum, esset subjectum nulla ex parte ens, nimirum nihil.

132. PROPOSITIO II.^a *Malum habet causam bonam.*

Prob. Malum est defectus boni, ad quod ens naturaliter comparatum est. Atqui quod aliquid deficiat à sua naturali et debita dispositione, non potest provenire nisi ex aliqua causa trahente rem extra suam dispositionem. Ergo malum habet causam. Atqui esse causam non potest convenire nisi bono; quia nihil potest esse causa nisi in quantum est ens. Omne autem ens est bonum. Ergo malum habet causam bonam (1). Hinc pulcherrima sententia: *malum non agit nisi virtute boni* (2).

133. Hic animadvertere oportet cum S. Bonaventura (3), causam bonam mali, non esse causam ex virtute et intentione sua, sed ex deficientia, et præter intentionem, seu, ut ajunt, non *per se*, sed *per accidens*. Nam virtus et efi-

(1) Cons. S. Thoma, *Sum. The.* 1. p. q. 49. a. 1.

(2) Lib. *de Divinis Nomin.* cap. 4.

(3) In lib. 2. sent. *Dist.* 34. a. 1. q. 2. *ad arg.*

cientia causæ producunt aliquid, quod est ens, ac proinde bonum; aliunde malum, qua tale, numquam potest intendi cum sit privatio, seu nihil. «Malum (ait S.) eo modo, quo »habet esse, eo modo habet et fieri, et quoniam malum »privatio est, et defectus, hinc est, quod sicut malum esse »non est aliquid vere esse, sic nec malum effici est vere »ab aliquo fieri, ut efficiente; sed vi deficiente.» Ergo solum per accidens potest alicui convenire, ut sit causa mali; v. gr. imperfectus motus procedit in animali non ab ipsa vi motrice, prout est vis, sed ex ejus debilitate, vel ex membrorum defectu. Quod si interdum malum ex ipsa virtute agentis oriatur, hoc semper erit *per accidens* et præter intentionem; omne enim agens, ut agens, non nihilum, sed esse producit.

134. PROPOSITIO III.* *Repugnat dari substantiam et naturam malam.*

Hæc propositio est contra nonnullos veteres (1), qui, teste S. P. Augustino (2), «dicebant Deum creasse malas naturas, atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ.»

Prob. P. Malum non est aliquid reale, quod per se existat. Atqui natura, sive substantia est aliquid cum reale, tum per se existens, seu subsistens. Ergo malum non potest esse aliqua natura (num. 129—131):

Collig. 1.^o Subjectum nulla ex parte bonum esse subjectum nulla ex parte ens; merum nihil.

2.^o Nullam rem esse absolute ac simpliter malam, sed solum secundum quid.

3.^o Turpissime errasse Lutherum, Flaccum Illyricum

(1) Non miremini quod dicam contra *veteres*, horum enim omnes errores hodierni renovant.

(2) *De Hæresib.* n. 59.,—it. *De vera Relig.* c. 23. n. 4.

aliique, qui peccatum originale esse substantiam quamdam malam autumarunt (1).

135. Veniamus nunc ad exhibendas notiones ordinis, pulchri, gratiæ et sublimis, propter necessitudinem, et nexum, quem servant cum doctrina de perfecto et bono. Seges est hæc prope interminabilis, nos vero fere solis definitionibus contenti erimus, ne limites propositos prætergrediamur, tractatum *Æstheticæ* intersetendo. Quamvis agere de ordine videatur esse locus proprius ibi, ubi agitur de relatione, tamen non ita, ut non quadret hic, præsertim ut est fundamentum pulchritudinis.

De ordine.

136. *Ordo* definitur à S. P. Augustino: *Parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio* (2). Speciatim vero potest dici ordo: *Mediorum in finem consentanea relatio et directio*. Tunc enim aliqua ordinata appellantur, cum disponuntur, vel moventur prout exigit finis, quem sibi quisque assequendum præstituit. Sic v. gr. militum aciem, cum pugnandum erit, ordine instructam dicimus, si ita milites distribuantur et collocantur, ut victoria de hoste facile obtineri possit. Operationes hominis ordinatas asserimus, cum ita se invicem excipiunt, ut fini obtinendo conducant (3).

Notate hîc, quod opus ordinatum est necessario effectus mediatus, vel immediatus causæ intelligentis; et nos non aliunde scimus hominem ratione uti, quam ex eo, quod ejus opera ordinata sint. Ubi id deest, confusio habetur et perturbatio.

Cum vero finis possit esse vel univeralis, vel particu-

(1) Cons. Bellarminum, *De ammissione gratiæ* etc. lib. 5. cap. 1. seqq.

(2) *D. Civ. Dei. lib. 19. cap. 13.*

(3) Liberat. *Ontolog. c. 1. art. 4.*

laris; consequens est, ut ordo partiendus sit *in universalem et particularem*.

Res una in se, quatenus una est, ordinari non potest, requiritur saltem aliquis finis. Plures res, ubi proprie ordo locus habet, plures respectus ad invicem habere possunt; jam si ad unum tantum respectum attendimus ad eas ordinandas, ordo erit *simplex*, si attendimus plures, erit *compositus*. Consulte Bibliothecam; v g. erit ordo simplex in Bibliotheca, si voluminum identitas materiæ attendatur; erit compositus, si præterea ad eorum locationem attendatur ratio magnitudinis, et antiquitatis, et materiæ, de quâ pertractant.

137. Dispositio rerum materialium et coëxistentium fit *in spatio*: dispositio rerum sibi succendentium fit *in tempore*: et dispositio rerum immaterialium et coëxistentium fit *in modo eas cogitandi*.

138. Tum *res*, tum *rerum operationes* et motus ordinantur.

1.^o Si ordinantur *res* in spatio, resultat ordo *staticus*; qui si ex coaptatione plurium secundum *æqualitatem* et *inæqualitatem* resultat, vocatur *staticus-symmetricus*; si resultat ex coaptatione plurium secundum *similitudinem* et *dissimilitudinem*, vocatur *staticus-harmonicus*.

2.^o Si ordinantur *rerum operationes* et *motus*, resultat ordo *dynamicus*; qui si est ex relationibus realibus causæ et effectūs, vocatur *ordo finalis*; si vero ex relationibus logicis temporis resultat, ordo erit *chronologicus*.

3.^o Denique ex relationibus, quæ juribus et officiis, merito ac demerito continentur, resultat *ordo moralis*, et *socialis*.

Nota. 1.^o Ordo minime est omnino arbitrarius.

2.^o Res possunt diversimode ordinari pro diversitate relationum, quæ attenduntur, hinc ut ordo eluceat necesse est cognoscere hanc relationem, seu rationem res ita componendi.

De pulchritudine.

139. Ordo et perfectio, de quibus aliqua delibavimus, licet requirantur ad pulchrum constituendum, non tamen sufficiunt quidquid enim perfectum est, et ordinatum; non eo solo tamen pulchrum ducitur, ut ex ejus descriptione patebit.

Pulchra sunt, ex veterum definitione, *quæ visa placent*. *Visa intellige cognita*. Hæc descriptio externa est et per effectus. Essentiam, et intima constitutiva pulchritudinis exhibit illa celebris ex S. P. Augustino et Platone descriptio: *Unitas in multitudine et varietate*. Itaque pulchritudo est: *Varietas multiplex in unitatem totius cuiusdam perfecti conspirans, in cuius comprehensione mens suaviter conquiescit*. Unde ad pulchrum exhibendum, necessarius videtur concentus quidam partium diversarum tum inter se, tum respectu totius; deinde opus est, ut hæc harmonia à contemplante apprehendatur, et contemplatione ipsa intuentem oblectet. Hæc animi quies, non confundenda est cum suspensione suæ activitatis, seu cum quadam inertia; etenim *quies* idem est ac quædam naturalis voluptas orta ex contemplatione objecti specifici. Pulchrum differt à bono in hoc, quod bonum assequi, eoque uti cupiamus; pulchrum autem contueri, et in ejus contemplatione suaviter quiescere (1).

140. Tria sunt in pulchritudine, quæ ad ipsam constitutandam concurrunt, scilicet: 1.º *Ratio formalis*, quæ consistit in convenientia partium, seu symmetriâ objecti: 2.º *Effectus*, qui est delectatio, quam symmetria objecti in animo gignit: 3.º *Fundamentum*, situm in ipsa bonitate objecti.

(1) Cons. S. P. Aug. Epist. 18. ad Cælest. n. 2.; S. Thom. 1. p. q. 5. a. 4. ad. 1.^m

141. Pulchritudo dividitur in *idealem*, *realem*, et *moralēm*.

Idealis est, quae typicā quamdam perfectionem exhibet, ut exemplar operis cuiusdam, quod, si illi conformetur, pulchrum evadit. Facultas vero deprehendendi in rebus rationem typi, vel efformandi in mente typos ejusmodi, et extra se ad actum reducendi, *genium* nuncupatur; atque exinde magni artifices oriuntur. Cum illud exemplar ideale considerari possit vel in Deo, vel in homine: hinc pulchrum ideale dividitur in *pulchrum ideale divinum* (1), et *pulchrum ideale humanum*.

Pulchrum *reale* illud est, quod ipsam objecti realitatem in se inspectam respicit. Dividi potest in *corporeum* et *incorporeum*, prout in rebus sensibilibus, aut in rebus intellectualibus, vel moralibus cernitur; si vero est in moralibus vocatur proprio nomine pulchritudo moralis, et est: *Conformatio quæsita, et obtenta inter actionem liberam et legem moralem, maxime cum actio videbatur illi conformis esse non posse*, nempe cum agentis adjuncta, cupiditates, necessitates et alia, huic conformitati plus minusve obstat videbantur. Hæc est ineffabilis illa, quam omnes sentiunt et amant, pulchritudo virtutis.

De gratia.

142. Gratia sita esse videtur: *In ingenuo quodam, ac simplici habitu obsecundandi in motibus cum decore naturam, qui negligentiam æque atque affectionem devitet.* Hinc gratia tribuitur gestibus, incessui, actibus, aut iis, quæ alicujus motū similitudinem præferre videntur, ut sunt curvæ, ac meandri (2).

(1) Cons. S. P. Aug. *Confs. lib. 4. cap. 13*, et Qq. *Octoginta tres*, q. 44.; *De vera Relig. c. 30—32.*; *De Civ. Dei lib. 22 c. 19.*; *De Nat. Boni, cont. Man. c. 8.*

(2) S. P. August. *in Regula, cap. 6.*

De Sublime.

143. *Sublime est: Quod intuentis facultatem longe excedere conspicitur*, sive oculis, sive mentis acie conspicatur. Ejus notio ingenerari videtur ex excessu quodam relativo pulchritudinis respectu facultatis apprehensivæ; nimirum quatenus sic apprehendatur à mente, ut comprehendendi plene nequeat propter prægrandem magnitudinem, quâ ornatur. In hoc sensu optime sublime in aliqua *infinite* semper fundari dicitur. Hinc non tam admirationem, ut pulchrum, sed stuporem quemdam potius ingenerat, et animum vehementer percellit, et quasi supra se ipsum attollit, magnis excitatis affectibus præter ordinem consuetum; ut evenit, si cum animo pacato, suavi et amore pleno contemplamur quamcumque ex infinitis Dei perfectionibus; vel etiam cum in medio maris, vel nocte aliqua procellosa in solitudine naturam universam contemplamur.

Duae species sublimis à Kant recensentur; sublime *mathematicum*, quod nititur notione spatii et temporis; et sublime *dynamicum*, quod notione potentiae, seu vis innititur; hæc vis potest esse *physica*, ut in phænomenis naturæ; vel *moralis*, ut in virtutibus heroicis evenit.

Scientia, quæ pulchri et sublimis investigationem insituit, à recentioribus *Æsthetica* nominata est (1). Satis.

SECTIO TERTIA.

DE ENTIUM PERFECTIONE QUOAD ESSE, ET ESSENDI MODUM.

144. Non est nobis in animo tractatum completum et absolutum hîc inserere de omnibus, quæ disputantur circa

(1) Cons. P. Liberatore, *Ontolog.* c. 1. art. 4.

diversorum entium perfectiones; alia enim loca sua cuique servamus; v. gr. de infinito (pro posse) agemus in Theologia, quia solus Deus est infinitus; de æternitate etiam, quia æternitas est ipse Deus; de spatio agemus in septima categoria (ubi); de tempore in octava categoria (quando); et sic de reliquis.

Hæc est methodus nobis proposita, quam oportet præsentem habere. Hic igitur de finito et infinito, necessario et contingentí, simplici et composito brevitate possibili notiones, et alia nonnulla solum trademus.

DISPUTATIO 11.^o—DE ENTUM PERFECTIONE QUAD *esse*.

—NOTIONES FINITI ET INFINITI,—DIVISIONES.—THEOREMATA.

—COROLLARIA, ET RESPONDETUR DIFFICULTATIBUS.

145. Nos omnes ideam, seu conceptum infiniti habere ex eo patet, quod ipsa utimur ad judicandum an objecta sint finita, vel infinita, quin umquam finitum cum infinito confundamus, et omnes homines, sive rudes sint, sive philosophi, sese invicem aptissimè intelligunt, cum de infinito loquuntur. Nec absque contradictione infiniti ideam se habere, negare quis potest; nam qui eam negat, vel intelligit quid negat, vel non; si intelligit, ergo jam de illo ideam habet; si non intelligit, ergo nihil negat; etenim ignorat quod negat, et amentem potius, quam philosophum traducere debemus.

146. Tamen conceptus entis infiniti duplex distingui debet: alter *confusus* et *initialis*, qui Ens infinitum repræsentat quidem, sed non ut tale alter *explicitus* et *formalis*, qui Ens infinitum, ut tale: repræsentat.

Primus ille, quæcumque sit ejus origo, de qua alibi, exhibet Ens quoddam immensum, interminabile, supremum, primamque rerum causam, de cujus notione nullus unquam ratione utens caruit. Alter exhibet hoc Ens, quatenus perfectiones omnes, quas in rebus diversis cog-

noscimus dispersas, perfectissimo modo, ac simplicissima entitate continet; ac propterea conceptus iste infiniti idem est ac conceptus absolute perfecti (120).

147. Hujus ideæ vero efformandæ occasionem quidem mens reperit in confuso illo supremi Entis conceptu; *elementa repræsentativa*, et propemodum materiam desumit ex ideis realitatum et perfectionum, quas experientiæ tum internæ, tum externæ ope collegit, quasque à nativis defectibus abstractione purgavit, removendo ab ipsis quidquid negationis involvunt, puramque realitatem contemplando; *genesim* vero iste conceptus debet multiplici ratiocinio, quo mediante intelligit perfectiones omnes illas, et quidquid realitatis concipi potest, sine ullius defectūs admixtione in Ente illo inesse posse ac debere (55—1.º seq.). Quænam autem sint hæc ratiocinia in Theologia videbimus.

Cum igitur dicimus, *omnes* habere ideam infiniti, dicimus de illa prima *initiali et confusa*, quæ quidem efflorescit ex quadam necessitate rationalis naturæ; anima enim nostra, creata ad imaginem et similitudinem Dei, facta est ad infinitum, et inquieta est, nullisque finitis expletur, donec ad infinitum perveniat (1).

Quæ de infiniti conceptu dicta sunt, intelligite etiam de necessarii conceptu.

148. Iis prejectis perscrutemur quid in conceptu infiniti, et finiti exprimatur.

Finitum est: Omne id, quod in quocumque genere limites habet.

Infinitum est: Quod limites non habet. Limes est negatio ulterioris realitatis; seu: *Id, ultra quod nihil est, quod ad ens pertineat.* Igitur qui limites dicit, significat et realitatem aliquam, et defectum ulterioris realitatis in illa connotat, sive hic defectus sit negatio, sive privatio. Igitur limes idem est ac perfectio cum imperfectione sociata.

(1) Cons. S. P. Aug. *Confs.* L. 1. c. 1.

Limitis idea ex parte positiva, ex parte negativa est, itaque quæcumque multitudo finita, quæcumque magnitudo, etc. semper erunt realitas cum termino, ultra quem nihil est, quod ad eam pertineat; ratio est, quia semper augeri possunt.

Infinitum omnia transcendent, nulla negatione circumscribitur, nullo genere contineri potest, est realitas realissima et perfectissima, maxime absoluta.

Infiniti idea est *positiva*; est enim idea esse sine ulla determinatione, quidquid negationis est ab ipsa plane exulat; et si specie negationem continet, est negatio negationis, proindeque affirmatio; ejus proprium nomen est: *quod est*. Infiniti notio non est intuitiva, nec arbitria, sed discursiva, conceptualis et indeterminata, ipsis respondet objectum reale unum, sed intuitionem aufugit. Duobus elementis, quibus infiniti notio constat, *ens*, et *negatio limitis*, nihil indeterminatus excogitari potest; requirentes igitur in idea infiniti repræsentationem rei propriis characteribus insignitæ, id ab ea quærunt, quod vetat dare ipsius indeterminatio (1). Hæc ignorantibus, et res confundentibus possibile fuit ideam infiniti negare (2).

149. Infinitum proprie dictum non potest non esse semper in actu; ipsum enim est, *quod habet omnem perfectiōnem, quam habere potest*; est igitur Ens necessarium, suum esse est ipsa sua existentia, seu est ens à se, æternum, immutabile etc.; hoc ens est Deus; ipsum esse, et hæc omnia habere ex necessitate essentiæ in Theologia probabimus. Sed est aliud infinitum improprie dictum, quod vocant infinitum in *potentia*, quæ denominatio, si

(1) Cum dicimus, ideam infiniti esse *indeterminatam*, dicimus per oppositionem ad *intuitionem* Ontologorum, sive Giobertii, Cartesii, Malebranchii et Rosminii; minime vero de infinito in se, quod est error Hegelii et suorum, quem in Theologia refutabimus.

(2) Hobbes, *De cive* c. 15, et *Leviath.* part. 1. c. 3.

verba sumantur prout sonant, contradictoria est; de verbis vero non disceptabimus. Intelligitur per infinitum *in potentia*: *Id, quod actu semper finitum est, sed sine fine augeri potest.* Proprio nomine est *indefinitum*. Primum vocabant veteres infinitum *categorematicum*; indefinitum vero vocabant *syncategorematicum* (1).

Ex his colligitur. Nihil majus excogitari posse ente *actu infinito*; è contrario semper aliquid majus excogitari posse ente *potentia infinito*. Sint nunc

150. THEOREMA I.^m *Ens actu infinitum est possibile.*

Demonst. Illud ens est possibile, cuius proprietates, seu notæ nullam involvunt contradictionem. Atqui proprietates Entis actu infiniti nullam involvunt contradictionem. Ergo Ens actu infinitum est possibile.

Demonst. min. Quod concipi potest per suam realitatem nullam in suo esse involvit contradictionem. Atqui concipi potest ens, cuius reales proprietates nullo circumscribantur limite. Ergo hæ proprietates nullam ad invicem involvunt contradictionem.

Demonst. min. Ubi nulla est negatio, ibi nulla potest concipi contradictione. Atqui nulla realitas in se spectata negationem involvit, multo minus si supponatur infinita. Ergo proprietates reales et infinitæ nullam ad invicem involvunt contradictionem.

151. THEOREMA II.^m *Ens actu infinitum necessario existit.*

Demonst. Ens infinitum necessario et ex supposito habet omnem realitatem; ergo est independens.

Demonst. conseq. Dependentia non est realitas entis, sed defectus; ergo ens infinitum est independens. Atqui ens independens est necessarium.

Demonst conseq. Si non est necessarium est contingens,

(1) Novi infinitum actu vocant *metaphysicum*; infinitum in *potentia mathematicum*.

non datur medium. Atqui si contingens necessio dependet ab alio, quod debet esse independens. Ergo si ens independens non est necessarium, erit simul contingens et independens; infinitum et pendens simul ab alio perfectiori. Atqui hæc contradictoria sunt. Ergo Ens independens est necessarium, seu à se; Atqui ens necessarium, seu à se necessario existit. Ergo Ens infinitum necessario existit.

Demonst. min. Ens necessarium habet existentiam ex necessitate suæ essentiæ, et habet in ipsa essentia sua rationem sufficientem suæ existentiæ. Atqui posita ratione sufficiens, et essentia, necessario ponitur rationatum, et omnia quæ de essentia sunt. Ergo Ens necessarium, seu Ens à se, seu Ens infinitum actu necessario existit.

152. *Dicent.* Nos nihil possumus asserere de ente infinito, nec negare, quia exsuperat infinito ideam, quam de ipso habemus.

Resp. Negando assertum, et distinguendo rationem additam, seu asserti fundamentum. Exsuperat positivæ et in se, conc.; exsuperat negative, et quoad notas, quas de ipso nobis repræsentamus, nego. Nos non comprehendimus quid sit infinitum in se; sed optime cognoscimus quid debeat esse, et quid non sit; itaque optime cognoscimus ipsum non esse corpus, nec temporaneum, nec contentum ullo genere, sed esse simplicissimum, æternum, realissimum, absolutum etc.; alioquin jam non infinitum, sed aliqua ex parte limitatum ipsum nobis repræsentaremus (1).

153. THEOREMA III.^m *Infinitum actu pertransiri nequit, videlicet, numerari nequit, aut mensurari quocumque modo.*

Demonst. Numeratio ac mensuratio fit successivis appli-

(1) Cum infinitum sit solus Deus, ad rem facit illud S. P. Aug., cui Patres reliqui consonant: *Deus ineffabilis est*, ait ipse, *facilius dicimus quid Deus non sit, quam quid sit*, In psal. 85. n. 12.

cationibus cuiuspiam unitatis; nam numeratio est assumptio multitudinis mensuratae per unum. Atqui absurdum est finitis applicationibus unitatis infinitum exhauriri. Ergo infinitum actu pertransiri nequit.

Demonst. min. Si mensuratio, aut numeratio exhauriret infinitum, infinitum esset actu infinitum ex supposito, et simul finitum, quia tali mensuratione, et numeratione expletur, et limitem haberet, ubi applicationum numerus desineret. Ergo absurdum est finitis applicationibus unitatis infinitum exhauriri.

154. THEOREMA IV.^m *Finitum quodvis per finiti additionem non potest infinitum evadere.*

Demonst. Quocumque finitum est limitibus circumscripum et mensurabile per unum. Ergo si finitum ex additione finitorum infinitum evaderet, esset infinitum finitis acceptationibus, seu applicationibus unitatis limitatum et mensuratum. Atqui hoc repugnat, quia esset infinitum simul finitum. Ergo finitum quodvis per finiti additionem non potest infinitum evadere.

Ex his duobus colliges: Contradicторias esse ideam numeri et ideam infiniti simpliciter, nec proinde in unum componi posse. Etenim numerus est: *multitudo mensurata per unum*: ejus idea efformatur perceptione *simultanea*, vel *successiva* plurium, eorumque comparatione et commensuratione cum idea, quā exprimitur id, in quo singula convenient inter se; ne aliud repräsentat idea numeri, ne aliter efformatur. Ergo repugnat idea numeri cum idea infiniti; idea enim infiniti excludit omnem comparationem plurium omnemque commensurationem; ideoque sese idea numeri et idea infiniti mutuo excludunt (1).

(1) Cum cl. Balmesius non determinet ideam numeri, ne quid sit, quod repräsentat, ne quomodo efformetur, ipse viderit ideam numeri cum infiniti idea conjungere. *Phil. Elem. Ideolog. c. 9.*

155. THEOREMA V.^m *Repugnat finitum maximum et optimum finitorum.*

Demonst. Finitum maximum vel potest crescere, vel non. Si non potest crescere, est quia jam est infinitum, quia habet omnia, quæ habere potest. Si potest crescere, jam non est finitum maximum, quia additione facta jam majus erit, quam erat; idem dicitur de isto facta additione, vel enim iterum potest crescere, vel non. Si non potest crescere, ergo finitum additione facta infinitum evasit, quod repugnat; si potest crescere, facta additione, erit majus, quam erat, et ita porro. Eadem intelligite de finito optimo. Ergo finitum maximum, et finitorum optimum repugnat.

156. THEOREMA VI.^m *Indefinitum numquam potest actu infinitum fieri.*

Demonst. Indefinitum, ex ejus notione, est semper actu finitum. Ergo si indefinitum fieret actu infinitum, fieret per incrementi additionem, quod repugnat.

157. THEOREMA VII.^m *Multitudo actu infinita repugnat.*

Demonst. 1.^o Omnem multitudinem oportet (necessitate est) esse in aliqua specie multitudinis. Atque omnes species multitudinis sunt secundum species numerorum. Sed nulla species numeri est infinita; quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum. Repugnat autem infinitum mensurari, quia hoc ipso non esset infinitum. Ergo repugnat multitudo actu infinita (1).

2.^o Multitudo est entium divisio; supponatur igitur multitudo infinita ex unitatum accumulatione. Hæc multitudo erit numerus infinitus, qui æquabit numerum, qui

(1) Hoc argumentum est à S. Thoma, Sum. Th. 1. p. q. 7. art. 4.

ipsum immediate præcedit, unitate adjecta. Jam vero numerus præcedens vel erat infinitum, vel non. Infinitum illum dicere non possumus, quin pugnantia dicamus; nam crescere adhuc poterat, ac reipsa crevit additione unitatis. Erat ergo finitus et unitate addita factus est infinitus. Atqui hoc est absurdum; quia ex duobus finitis infinitum emerget. Ergo repugnat multitudo actu infinita. Cætera in Theologia adversus effugium atheorum ad seriem infinitam pertractabimus.

158. *Corrollaria.* 1. Repugnat non solum multitudo infinita simultanea, sed etiam successiva; id est, series quæcumque actu infinita. Nam utrobique eadem absurdum.

2.^o Infinitum non est multitudo, non est extensio, non est ex gradibus finitis; est ergo necessario aliquid indivisum, et plane indivisible; propterea in unitate solummodo ac perfecta simplicitate reperiri potest; cujus quodlibet attributum est infinitum, cum sit ipsa ejus essentia infinita ratio sufficiens adæquata et necessaria eorum.

Solvuntur objectiones.

159. *Obj. I.^o* Elementa materiæ sunt numero infinita. Nam materia est in infinitum divisibilis.

Resp. Nego ant. et prob. Etenim in materiæ divisione ad ultima elementa tandem deveniendum est, quæ vel extensa sint, vel inextensa, semper tamen finito numero contineantur oportet. Hic animadvertisendum est, realitatem rerum non dimetiendam esse nostris abstractionibus, nec ipsis accommodandam; sed nostras ideas, et combinationes etc. accommodandas esse realitati.

Obj. II.^o Saltem si ultima elementa geometricæ continua sunt, in infinitum dividi possunt. Ergo etc.

R. Nego. Numquam enim ejusmodi divisio numerum partium infinitum dabit, sed indefinitum; quamquam sine fine protrahi possit.

Obj. III.^o Mathematici sæpe loquuntur de infinitis quantitatibus, et quamtitatem quamcumque finitam præ illis negligunt.

Resp. Dist. Mathematici loquuntur de indefinito, *conc.*; loquuntur de infinito actuali, seu simpliciter, *nego*. Hoc omnes geometriæ tyrones norunt.

Obj. IV.^o Quæ possibilia sunt ad actum reduci possunt. Atqui possibilium multitudo est infinita. Ergo multitudo infinita ad actum reduci potest.

Resp. Dist. maj. Possibilia successive et successione indefinita ad actum reduci possunt, *con.*; simul omnia, *nego*.

Dist. etiam min. Atqui possibilium multitudo est infinita *in potentia*, *conc.*; *est infinita actu*, *nego*, et *nego consq.*

DISPUTATIO 12.^a—DE ENTE NECESSARIO ET CONTINGENTI.—THEOREMATA.—DE SIMPLICI ET COMPOSITO.—DE TOTO.—DE ÆTERNO,—DE ÆVO,—DE TEMPORANEO.—DE MUTABILI ET IMMUTABILI.—THEOREMATA.—DE TRANSITU à
non esse ad esse et VICE-VERSA.

160. Ens, spectato modo existendi, est in se vel *necessarium*, vel *contingens*; *simplex*, vel *compositum*; spectata duratione, vel est *æternum*, vel *temporaneum*; spectato modo durationis, vel est *immutabile*, vel *mutable*. Itaque primo:

Necessarium universim vocamus id, cuius oppositum est impossibile, seu contradictionem involvit; at cum oppositum possit esse vel absolutè, vel hypothetice impossible; hinc etiam necessarium erit vel absolutè, vel hypothetice necessarium.

Est ens absolutè necessarium: *Illud, quod ita necessarium est ut, nulla adjecta conditione, ejus non esse sit absolute impossibile*; vel cuius oppositum terminis constat contradictoriis, ideoque, *ens cuius esse sit ejus essentia*. Consequenter, seu hypothetice necessarium est: *Illud cu-*

jus oppositum involvit contradictionem si certa aliqua ponatur conditio; sic v. gr. posita mundi existentia, mundus necessitate hypothetica existit.

Contingens in g  ner   est illud, *quod potest esse, vel non esse.* Ens contingens est illud, *cujus existentia non est absolute necessaria; seu, cujus non existentia non repugnat.* Ex iis colligitur, id, *quod hypothetice solummodo necessarium est, in se contingens esse.* De ente necessario sint

161. THEOREMA I.^m *Omne ens in se vel necessarium est, vel contingens.*

Demonst. Existentia cujuscumque entis vel ita necessaria est, ut ejus non-existentia absolute repugnet, vel non, non datur medium; atqui si primum, ens est necessarium; si alterum est contingens. Ergo omne ens in se vel necessarium est, vel contingens.

162. THEOREMA II.^m *Ens necessarium est ens    se.*

Demonst. Illud Ens est    se, quod est vi et necessitate essenti   su  . Atqui Ens necessarium est, seu existit vi et necessitate essenti   su  . Ergo ens necessarium est ens    se.

Demonst. min. Ens necessarium est vi et necessitate essenti   su  , si essentia sua est ratio sufficiens et ad  equata sui *esse.* Atqui essentia sua est ratio sufficiens et ad  equata sui *esse.* Ergo ens necessarium est vi et necessitate essenti   su  .

Demonst. maj. Si Ens necessarium non habet rationem sufficientem et ad  equatam sui *esse* ab essentia sua, habebit ab alio    se distincto. Atqui hoc repugnat. Ergo habet illam    se.

Demonst. min. Habere rationem sufficientem et ad  equatam ab alio distincto, est ab illo dependere, et solummodo esse in hypothesi, quod illud aliud ei *esse* dedisset;

seu, quod idem est, est esse necessarium et simul non repugnare non esse, ideoque esse simul necessarium et non esse, quod plane repugnat. Ergo Ens necessarium est à se.

163. THEOREMA III.^m *Ens necessarium non potest esse in statu puræ possibilitatis. Seu: Ens à se necessario existit.*

Demonst. Ens à se habet in sua essentia necessario rationem sufficientem et adæquatam suæ existentiæ. Atqui posita ratione sufficiente et adæquata necessario ponitur rationatum. Ergo Ens à se, hoc ipso quod possibile est, necessario existit.

Insuper, esse necessarium et simul in statu puræ possibilitatis repugnat. Hinc colligitur, possibilitatem entis necessarii et ejus existentiam esse quid unum et idem.

164. THEOREMA IV.^m *In Ente necessario non sunt modi proprie dicti, seu accidentia.*

Demonst. In ente necessario existentia, et omnis determinatio interna, et quidquid in eo est necessario fluit ab essentia. Atqui quidquid necessario fluit ab essentia est æternum, necessarium et immutabile sicut essentia. Ergo modi, qui sunt variabiles et non necessarii, non possunt esse in ente necessario.

Hinc colligitur, ens necessarium esse æternum; nam existit necessitate absoluta. Atqui necessitas absoluta est æterna. Ergo est æternum.

Demonst. min. Illud est æternum, quod nec initium, nec finem admittit. Atqui ejusmodi est necessitas absoluta. Ergo necessitas absoluta est æterna. Ergo (iterum) ens absolute necessarium est æternum. Cætera alibi pertractabuntur.

De ente contingenti.

165. THEOREMA I.^m *Ens contingens est ab alio.*

Demonst. Si ens contingens non esset ab alio nec ab alio dependeret, non posset existere nisi vi essentiæ suæ. Atqui essentiæ sunt absolute necessariæ. Ergo absoluta necessitate existeret. Sed hoc repugnat; quia tunc esset ens contingens, ex supposito, et simul necessarium. Ergo ens contingens ab alio dependet et in existendo, et in existendi modo.

Alio modo. Ens contingens est quod potest esse vel non esse; quod autem potest esse vel non esse, non est determinatum ad esse vi essentiæ suæ; ergo absolutè necessarium est ut determinetur ab alio; ergo ens contingens est ab alio.

166. THEOREMA II.^m *Ens contingens potest esse in statu meræ possibilitatis. Seu; eo solo quod sit possibile non existit.*

Demonst. Ens contingens non habet in sua essentia rationem sufficientem et adæquatam suæ existentiæ, alioquin non contingens, sed necessarium esset. Ergo ut existat, poni debet aliqua hypothesis, nempe actio causæ externæ ipsum producentis. Ergo possilitas entis contingens non importat ejus existentiam; seu, quod idem est, ens contingens potest esse in statu puræ possibilitatis (1).

167. THEOREMA III.^m *Quod contingens est, existere nequit, nisi ab aliqua causa producatur.*

Demonst. Ens contingens indifferens est ad existendum,

(1) Cons. Euseb. *de præp. Evang.* c. 6. seq.; S. Thom. *L. 3. cont. Gen.* c. 72.; id. *Lib. 1. c. 85.*; id. *3. Metaph. Lect. 3.*; Boët. *de control. philosoph.* *Lib. 4. Pros. 6.*

vel non existendum; alioquin vel esset á se, ideoque necessarium, vel non esset ens. Ergo ut existat eget aliqua determinatione extrinsecus accepta, quæ non potest proficiisci nisi ab aliquo ente.

Conseq. patet. Nam si ab alio ente non acciperet ens contingens determinationem ad existendum, esset vel quia illam haberet á vi essentiæ suæ, et tunc non contingens, sed necessarium esset; vel quia cum nondum erat seipsum ad esse determinaverit, quod plane absurdum est. Ergo quod contingens est, nequit existere, nisi ad aliqua causa producatur.

168. THEOREMA IV.^m *In ente contingentи sunt modi proprie dicti.*

Demonst. Existentia entis contingentis non fluit ab ejus essentia, sed ab alio pendet; est ergo, non necessaria, sed contingens et mutabilis. Atqui modus existendi sequitur modum essendi. Ergo modus existendi entis contingentis, est modus proprie dictus, seu variabilis.

169. Dicamus nunc quid sit simplex ens, quid compositum; quid æternum; quid temporaneum, quid ævum; quid denique immutabile, quid mutabile.

De quinque primis solas afferimus definitiones, quia aliis est eorum locus, de duobus reliquis per pauca addemus.

Ens simplex est: *Omne id, quod nec pluribus constat, nec in plura resolvi potest.*

Compositum est: *Omne id, quod et pluribus constat, atque in plura resolvi potest.*

170. Simplicitas et compositio in omni rerum genere locum habet. V. gr. Simplex est secundum substantiam id, quod in plures substancias specie diversas resolvi nequit, ut sunt, v. g. apud chimicos metalla. Secundum quantitatem est simplex id, quod in partes quantitativas resolvi nequit, ut substantia cogitans, et ipsa cogitatio. Secundum

qualitatem id, quod in plures qualitates dividi nequit, ut ignis, calor: et sic de cæteris. Hæc est simplicitas et compositio secundum aliquod genus. Est etiam compositio ex rebus ad plura genera pertinentibus, ut compositio ex substantia et accidentibus.

Simplicitas *absoluta* est in eo, quod nullo modo resoluble est.

171. Illa plura, ex quibus ens compositum coalescit, et in quæ resolvi potest, sunt vel *physica*, vel *metaphysica*. Itaque

Compositum *physicum* est illud, *cujus componentia sunt realiter distincta*.

Compositum *metaphysicum* est illud, *cujus componentia non re, sed solum ratione sunt distincta*. Hujusmodi sunt compositiones ex *genere* et *differentia*; ex *supposito* et *natura*; ex *essentia* et *esse*.

172. Compositi notio nos conductit ad totius notionem. *Totum* est id, *cui nihil deest ex iis, quæ ejus expostulat natura*. Aliquid addit supra compositum; hoc enim solummodo designat conjunctionem plurium. *Totum* proprie solum dicitur de compositis. De iis jam alias dictum fuit.

173. Ens *æternum* est, *quod nec initium habuit, nec finem habere potest, nec ullam successionem*. *Æternitas* est: *interminabilis vitæ tota simul et perfecta possesio* (1).

Ævum est: *quod initium habuit, sed finem non habebit*. *Temporaneum* est: *præsens perpetuo mobile et mutabile*; seu, *quod habuit initium, et finem habebit* (2).

174. Quoniam de *æterno* ac *temporaneo* aliis in locis fiet sermo, superest nunc, ut entis mutabilis et immutabi-

(1) Cons. Boet. L. 3. *de consal. phil. pros.* 2. circa prin.; S. Thom. 1. p. q. 10. a. 1.

(2) Cons. S. P. Aug., *Enarr. in Psal. CI.*; item, *Confs. lib. 11. a capit. 12.*

lis notiones explanemus. Quem in finem ipsius mutationis conceptus est enucleandus.

Mutari ens dicitur, cum incipit se habere aliter ac antea. Propterea mutatio est: *Transitus entis ab uno modo se habendi ad alterum*. Tria sunt mutationis elementa, scilicet: *terminus a quo*; *terminus ad quem*; et *utriusque subjectum*; quae tria veteres his vocabulis designabant: *privatione*, *forma*, *materia*. A termino autem *ad quem* mutatio speciem recipit, quia per ipsum mutatio absolvitur, ac determinatur. Sic dicimus corpus *calefieri*, cum de frigido fit calidum; *putrescere*, cum de integro ad corruptionem venit. Omnem mutationem veteres vocant *motum*; qui de iis multa desideret apud ipsos quærat.

Ens igitur *mutable* est, *quod ab uno modo se habendi transire in alterum potest*.

Immutabile est, *quod non potest*.

Hic modus se habendi, seu status, potest esse vel *internus*, vel *externus*. Est *internus*, si ad ens refertur in se et absolute spectatum; est *externus*, si ille modus, seu status convenienti spectato relate ad alia, ut fieri *pater*, *dominus*, *majus*, *minus* etc.

175. Si ens cum se ipso secundum diversa tempora comparetur, dicitur esse sibi identicum, si mutationem non subiit. Proinde *identitas*, hoc modo accepta, est: *carentia mutationis*; seu *conservatio statū*, *in quo ens erat*.

Ex variis porro gradibus, quos habere potest *identitas* hoc modo accepta, triplex ipsa est: 1.^a *absoluta*, cum ens nullam omnino mutationem subiit: 2.^a *relativa*, et *ad sensum*, cum aliqua quidem mutatio in ente peracta est, at sensu non deprehenditur: 3.^a *moralis*, cum res, licet sensibles mutationes patiatur, in communi tamen hominum existimatione tanquam sibi identica habetur. Prima est, v. gr. in anima nostra quoad essentiam, est in ente necessario; 2.^a est v. gr. in corpore nostro; 3.^a in flumine, natione etc. Sint nunc:

176. THEOREMA I.^m *Omne ens vel est mutabile, vel immutabile.*

Demonst. Status internus cujuscumque entis vel absolute potest mutari, vel non, non datur medium. Atqui si potest mutari, ens est mutabile; si non potest, est immutabile. Ergo omne ens vel est mutabile, vel immutabile.

177. THEOREMA II.^m *Ens immutabile est ens necessarium.*

Demonst. Ens immutabile vel est ens necessarium, vel est ens contingens. Atqui repugnat esse contingens. Ergo est necessarium.

Demonst. min. Omne ens contingens, eo ipso quod contingens est, habet existentiam mutabilem, et modis proprie dictis, seu variabilibus subjacet. Ergo si ens immutabile esset contingens, esset simul variabile et invariabile, haberet modos proprie dictos, et non haberet simul, quod plane repugnat. Ergo ens immutabile est necessarium.

178. THEOREMA III.^m *Ens mutabile est ens contingens.*

Demonst. Ens mutabile est ens, quod transire potest ab uno modo se habendi ad alterum; potest igitur aliquid amittere ut aliquid acquirat, non est igitur necessarium. Atqui si non necessarium est, contingens. Ergo omne est mutabile est contingens.

179. Cum omne ens contingens indifferens sit ad existendum, vel non existendum, indigeatque proinde actione causæ producentis, ut sit in ordine existentiæ (167), et aliunde etiam, sicut à non esse ad esse, sic ab esse ad non esse transire possit; dicamus quomodo id fiat: itaque

Duplici porro ratione ens contingens ad existentiam venire potest, nempe vel *solum ex nihilo sui*, id est, ex præexistente subjecto, seu materia; vel *ex nihilo sui et sub-*

jecti, id est, absque ulla quacumque materia, ex qua fiat.

Primus exoriendi modus dicitur *productio*, seu *effectio*; et tam ad substantias, quam ad accidentia pertinet; ita fit, v. gr. mensa, statua etc. Alter modus ad esse veniendi dicitur et est *creatio*, et substantiarum solummodo propria est; substantia vero simplex per creationem tantummodo oriri potest.

180. Substantia dupli etiam modo interire potest, *corruptionem*, scilicet, et *annihilationem*. *Corrumpitur* substantia, cum in partes, quibus constat, dissolvitur. Hic modus interiendi est proprius solummodo substantiarum compositarum. *Annihilatur* substantia, cum ad nihilum absolutè reducitur. Sicut substantia simplex solum per creationem existere potest incipere; ita solummodo per annihilationem perire potest.

Hic animadvertere oportet, ad annihilationem non requiri actionem aliquam positivam, sed tantummodo *subtractionem actionis conservatricis*.

181. Accidentes esse cessant cum à subjecto expelluntur (1): Hoc autem fit, vel *actione contraria*, ut motus motu destruitur; vel *ex corruptione subjecti*, ut destructo oculo destruitur vis visiva; vel *ex defectu causæ*, ut deficit illuminatio opaci corporis, deficiente actione corporis lumenosi.

(1) Loquimur, ut patet, de accidentibus consideratis juxta ordinem naturalem. Nam de fide est, accidentia panis et vini in SS. Eucharistia nec esse in subjecto panis et vini, quod transiit in verum corpus et sanguinem Christi, nec in iis subsistere. Utrum vero ibi sint realiter vera accidentia, et quomodo; an Deus ea substentet efficiendo per se, quod facit per substantiam panis et vini, ne Deus revelavit, ne Ecclesia definivit, ne homines capiunt, licet nobis unusquisque suam ut veram venditet opinionem.

SECTIO QUARTA.

DE QUATUOR PRIMIS CATEGORIIS, SEU SPECIALIBUS MODIS ENTIS.

182. Jam alibi insinuavimus diverso modo considerari categorias in Logica, ac considerat Ontologia. In Logica considerantur ut suprema entium genera *prout* subsunt mentis conceptibus; hic vero considerantur, ut sunt *in se* haec genera, seu modi entium. Huic denominationi libenter astipulamur, quia methodo non parum inservit et etiam quia non infrequens est apud Patres (1).

183. Hactenus egimus de ente in se spectato prout est principium categoriarum, seu prædicamentorum, ut latini post Boëtium loquuntur, atque de ejus communibus et transcendentalibus notionibus, de iisque, quæ ad ejus notionem referuntur. Nunc ordinis ratio postulat, ut agamus de istis specialibus modis entis. Pronum est, ens non dividi in categorias, ut genus in species; nam ens genus non est, cum omne genus necessario habere debeat differentias, quæ ipsum in species determinent, quæ differentiae ens sint oportet, alioquin essent nihil, et nihil non potest esse differentia; igitur ens dividitur in categorias veluti in diversos modos essendi. Jam primus entis essendi modus consistit, ut sit *in se*, vel *in alio*, id est, ut sit *substantia*, vel *accidens*.

Esse substantiale non solum est prima categoria, seu primus essendi modus entis, sed est et etiam fundamen-

(1) Cons. Clem. Alex. *Strom.* lib. 8. c. 8.; S. Joa. Damas. *Dialect.* c. 49—56.; S. P. Aug. *De Trin.* lib. 5. c. 7. n. 8.; videsis opusc. dub. S. Aug. Tom. 1. Edict. Maur. *De Categoris*; S. Bonav. *Brevilog.*, Parte 1. cap. 4.; S. Tho. etc. etc.

tum cæterarum. Itaque primo de substantia, deinde de accidentibus agemus.

DISPUTATIO 13.—DE SUBSTANTIA.—SUPPOSITO.—
SUBSISTENTIA.—PERSONA.—NATURA.—DE ACCIDENTIBUS.—
ATTINGUNTUR VARIAE QUÆSTIONES.

§ I.

184. *Substantia*, prout categoria est (1), ab accuratiōribus definitur: *Ens, quod nullo alio indiget, cui inhæreat ad existendum*. Hoc proinde sensu substantia in suo conceptu, seu, ut dicitur, *in recto*, non importat nisi meram negationem essentialis dependentiæ à subjecto, cui inhæreat in existendo; sicut notio *entis* simplex meram tantummodo intrinsecæ contradictionis negationem designat; est igitur substantia ens *in se substiens ac per se*. Ad præcavendos tamen turpissimos pantheismi errores sedulo animadvertisendum est; quod cum dicimus substantiam esse *per se*, et *in se*, nec alio indigere, cui inhæreat, solummodo his verbis excluditur à substantia *dependentia ab alio tamquam à subjecto inhæsionis*, minime vero dependentia ab alio tamquam à causa. Independentia enim à subjecto *inhæsionis* facit, ut ens per se, et in se sit, nihil vero amplius: independentia à causa facit, ut ens *sit à se*. Primum ens est omnis substantia: alterum est solummodo substantia infinita.

185. Mirum est, quot erroneas de substantia definitiones ab antiquioribus philosophis materialistis et pantheistis allatas fuisse, sicut et à neotericis, inter quos eminet Lockius, Leibnitius, et turba germanorum; et ipse bonus

(1) Dicimus prout categoria est, nam substantiam non infrequentè sumunt Patres pro *essentia*, et etiam pro *natura*, et pro *ente*, quæ acceptiones impropriæ sunt. Cons. S. Tho. In 1. sent. Dist. 9.—25.—Sum. 1. p. q. 29. a. 2.; S. Bonav. In lib. 2. sent. Dist. 37. dub. 4.

Cartesius substantiam pantheistico sensu definivit, ait enim ipse: substantia est *res, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum*; quæ definitio soli Deo competit; solus enim Deus est ens à se, ens infinitum. Alii definiunt substantiam: *subjectum accidentium: subjectum perdurabile et modificabile: vel: res, cui insunt formæ sensibiles et attributa*; quæ definitiones præter quamquod solummodo de substantiis finitis dici possunt, etiam cum de iis dicuntur impropriæ sunt, nam aperiunt viam ad errorem Lockii ajentis: *substamtiam esse complexionem qualitatum, quas sensu percipimus, ignota ratione coexistentium* (1), quæ definitio destruit ipsam substantiæ notiōnem; nam notio qualitatis, et qualitatum complexionis ex postulat naturā suā *subjectum*, cui illæ inhæreant, non enim qualitas habet *esse*, sed *in esse* aliquo principio, quod sit substantia. Omittimus referre et explodere definitiones plus minusve falsas ab aliis, v. gr. à Baruhc Spinoza, Leibnitio, Kantio, Giobertio allatas.

186. PROPOSITIO I.^a *Substantiæ notionem experientia cuique obvia suppeditat.*

Prob. Rerum tam multæ ac perpetuo succedentes mutationes statim ostendunt esse aliquid, quod mutationes recipit, quodque sub omnibus idem manet; v. gr. cera, quam manibus contrecto, modo frigida est, modo calida, dura primum, deinde mollior, ac mox liquescens, transit ab una manu in alteram, et modo unam figuram accipit, modo aliam; semper tamen eadem cera est, quam primo accepi. Est ergo in rebus *subjectum affectionum*, et sunt affectiones sibi succedentes in illo. Jam illud *unum* est *identicum ac permanens*; hæ vero *plures, diversæ insuper, ac successivæ*. Id ipsum experientia docet interna; per cons-

(1) *Essai sur l' entend. hum.* lib. 2. c. 23. §. 1. seqq.

cientiam enim novimus, nos variis affici cogitationibus, quæ sibi invicem succedunt, nos tamen ipsos eosdem semper persistere. Patet itaque nos primo concipere substantiam, ut *subjectum constans affectionum mutabilium*, et exinde assurgere ad conceptum substantiæ absolutæ. Ex hoc concipiendi modo ipsa *substantiæ* denominatio ortum habuit (*sub stare*),

187. PROPOSITIO II.^a *Definitio substantiæ à nobis tradita est bona. Seu; Substantia est ens, quod per se est, neque indiget alio tamquam subjecto cui inhæreat.*

Etenim si comparamus *subjectum affectionum* cum *affectionibus*, quibus subest, deprehendimus, *affectiones* omnes ita in sua existentia dependere à *subjecto*, ut non possint ab ipsa avelli, et existere per se, sed in illo existere debent; *subjectum autem* ab illis esse independens, nec indigere illis ut sit; fuit enim sine unaquaque illarum, et esse perstat etiamsi illæ cessent. V. gr. *mea cogitatio* non potest esse sine mente mea, nec à me ad alterum transire, ita *chartæ figura*, aut *albedo sine charta* et *extra chartam* existere, saltem naturaliter, nequit. Sed mens *mea* potest esse sine illa cogitatione, et *charta* sine illa figura; potest etiam mens ab una cogitatione ad aliam, et *charta* ab una figura ad aliam transire. Igitur *substantia* ita existentiam habet, ut per se sit, nec alio indiget, ut sit. *Affectiones autem* ita existentiam habent, ut non per se sint, sed in alio ut in *subjecto*, quo indigent ut sint.

188. Hinc liquet. 1.^b Nos ideam substantiæ habere; id quod ceteroqui patet vel ex *humani sermonis* consideratione. Quid enim significant nomina substantiva concreta, homo, lapis, arbor, etc., nisi substantias? Quid deficit in nominibus abstractis, candor v. gr., *albedo*, *rotunditas*, etc? Quid connotant *adjectiva* *candidus*, *rotundus*, *albus*, etc., nisi substantiam? Atqui si nomina sunt, quæ

substantiam significant, est profecto in mente humana idea substantiæ.

2.^o Manifestum esse, hanc ideam claram esse. Si enim clara non esset, substantiam confunderemus cum substantiæ affectionibus; quod tamen nunquam fit.

3.^o *Hinc errare maniferte Lockium*, cum asserit, nomina substantiarum nihil aliud exprimere, quam congeriem sensibilium qualitatum ignota ratione coëxistentium (185); nam ipse quoque fateri cogitur, nos præter qualitates sensibiles, illarum quoque subjectum concipere. Revera quis dicat in pomi v. gr. conceptu nihil aliud comprehendendi, nisi figuram, colorem, dulcedinem coëxistentes? Præterea, possumus substantiam concipere in qua nullæ sint qualitates, ut cum substantiam divinam concipimus.

4.^o Demum substantiæ notionem confictam, aut arbitriam non esse, sed ex ipsis rerum naturis discursu, et per experientiam depromptam (1). Attamen sit

189. PROPOSITIO III.^o *Nos cognoscimus quidem quid sit substantia universim et per oppositionem ad accidens; minime vero compertum habemus, quid determinatas substantias intrinsecè constituat.*

Ac primo quidem, quia multarum rerum essentiæ physicæ nobis latent (45).

Deinde conceptus substantiæ est universalis, ideoque pluribus communis; sed conceptus universalis et communis non est distinctus, sed confusus; ergo quamvis nonnullarum rerum essentias cognoscamus, semper restat cognoscere quid in se sit substantia illarum notarum, quæ concurrunt ad datam essentiam constituendam, cum et ipsæ sub conceptum communem substantiæ cadant.

(1) Cons. Salv. Tong. *Ontolog. lib. 2. c. 1.*

Hinc est, quod substantias ab invicem distinguimus, non per intrinsecas ipsarum differentias, sed per affectiones ipsarum, atque per effectus, quos percipimus. Quamobrem idea cuiusvis peculiaris substantiae continetur notione generali et indeterminata *entis per se*, cui determinatae qualitates inhærent, et ex quo certi effectus dimanant.

Divisiones.

190. Substantia alia est *simplex*, alia *composita*; *completa* alia, alia *incompleta*.

Substantia *simplex*, quæ etiam immaterialis subaudit, est: *quæ nec constat aliis partialibus substantiis, nec in ipsas resolvi potest*; seu, *quæ necessario excludit omnem physicam compositionem*; talis est anima, Angelus etc.

Composita est; *quæ ex aliis partialibus substantiis constat et in illas resolvi potest*, ut corpus. Utrum materialis substantia sit, vel non sit divisibilis in infinitum, inter philosophos controvertitur. Qui afirmant perperam sibi blandiuntur credentes id fieri posse in rebus, quod ipsi faciunt in mente; mente quidem eas dividimus in infinitum, seu potius in indefinitum; in re autem videtur quod ad aliqua elementa extensione geometrica et vi resistendi prædicta deveniendum tandem foret.

Nota. 1.^o Essentia substantiae compositæ est diversa, tum pro diversitate componentium, tum pro diversa ratione inter easdem partes conjunctionis.

2.^o Omnis composita substantia, cum in partes dividi possit, est dissolutioni, seu corruptioni abnoxia, ideoque est essentialiter contingens.

3.^o Partes physicæ, quæ substantiam compositam constituunt, sunt totidem substantiae. Nam possunt ab invicem actu separari, et separatæ esse perstant. Ergo per se sunt.

191. Substantia completa est ea: quæ (sive simplex sit, sive composita) ex se non ordinatur ad compositum substantiale constituendum; seu, quæ non conjungitur alteri à quo perficiatur. Hujusmodi est *Angelus*, *massa auri*, *homo*.

Incompleta est ea: quæ ex se ordinatur ad substantiale compositum; seu, quæ alteri conjungitur, à quo perficitur, et à quo dependet in suis operationibus; ut anima hominis, ejus corpus, manus, arboris ramus, etc.

Hæc ultima divisio nos adducit ad notiones *suppositi*, *personæ*, et *naturæ* tradendas. Nonnullæ h̄c sunt quæstiones valde implexæ, quas persequi, ut par est, limites horum elementorum, prohibent. Itaque quæ vera, quæque necessaria sunt seligemus; memoria enim memor sum veritati nomen dedit, minime vero ulli scholæ ita, ut præjudicio ullo veritatem quæram.

192. In substantiæ notionem redeuntes, *tria* quoad ipsam considerare possumus; *primum*, quod existat et quidem in se; *secundum*, quod aliqua vi idonea ad operandum perfruatur; *tertium*, quod se possideat, atque sui juris sit in existendo et operando. Primum proprie et præcise constituit notionem substantiæ, de qua inmediate egimus; secundum præbet notionem naturæ; tertium suppositi et personæ.

193. Ex dictis de substantia completa, et incompleta colligitur, quasdam substantias habere rationem partis, quatenus ad aliud perficiendum ordinantur, et ad illud accedendo vicissim perficiuntur et complentur; v. gr. corpus aut anima rationalis relate ad hominem; manus vel pes relate ad corpus; ramus arboris relate ad arborem etc.; quasdam vero alias substantias rationem partis non habere, quia non sunt adictæ alteri perficiendo, nec ab altero perficiuntur, aut complentur; v. gr. homo totus; hic liber; arbor etc.

194. Jam vero illæ substantiæ singulares, in quibus

hæc integratatis et proprietatis ratio invenitur, *supposita* dicuntur, et græco nomine *hypostases* (1).

Est igitur suppositum: *Substantia singularis*, quæ per se integrum quoddam est atque completum; seu, *Substantia ultimo completa suique juris*; igitur quæ nec alterius pars est, neque uti pars considerari potest.

195. Hic modus existendi abstracte consideratus dicitur *subsistentia*, quæ definiri potest: *Ultimum substantiæ complementum eam reddens sui juris, sive incommunicabilem alteri tanquam supposito, sive personæ*. Ex ultimis verbis apparet differentia *rationis* inter subsistentiam et suppositum.

196. Persona idem est ac suppositum, sed rationale. Est itaque persona: *Substantia singularis, quæ ratione possit, quæque per se integrum quoddam est atque completum*.

Aliis verbis persona cum Boëtio definiri solet: *Naturæ rationalis individua substantia*. Vox *individua* idem est ac *incommunicabilis*.

Itaque cum persona dicitur *individua*, tria significantur.

Primo: Persona debet esse quædam substantia singularis, ac proinde non potest, quæmadmodum natura universalis, esse communis pluribus (2), unde personæ tessera dicitur consistere *in tali modo existendi*.

Secundo: Debet esse substantia complecta; ita ut non possit communicari alteri substantiæ, cum qua compositum substantiale efficiat, ut anima humana separata, quæ est

(1) Hypostasis etiam significat *personam*. Olim quæstio fuit inter Græcos et Latinos propter hoc nomen. Cons. Suarez. *Metaph. Disp. 30—n. 25.*

(2) Divina Essentia, seu Natura una et simplicissima est, seu subsistit tota simul, quin multiplicetur, in tribus distinctis Personis, et in unaquaque; quæ Personæ solum distinguuntur ad invicem per realem relativam oppositionem.

pars rationalis naturæ, scilicet humanæ, et non tota natura rationalis hominis, et ideo non est persona (1).

Tertio, debet habere subsistentiam propriam sibi, ita ut persona dici nequeat illa natura, quæ etsi singularis et completa sit, tamen quia assumitur à persona excellentiori, propriam hypostasim amittit, atque in illa excellentiori hypostasi, à qua assumitur, subsistit.

197. *Natura*, ut jam dictum est (39), potest definiri: *Dispositio atque tendentia entis ad certo quodam modo operandum*; seu: *Principium actionis ac operationum rei intime inhærens*, (quod principium minime sejunctum est ab ipsa actione, saltem in natura divina); seu cum Boëtio potest definiri natura: *Essentia prout vim ad operandum includit* (2). Natura eo sensu, qui ex his definitionibus, elucet, jam communiter accipitur; non defuerunt tamen controversiæ circa ejus propriam acceptiōnem; et etiam nunc solet accipi pro *essentia*; pro *principio genitali*; pro *universalitate rerum creatarum*; atque etiam pro *ipso Deo*, ut autor universarum rerum est etc.

198. Nunc in gratiam vestri, qui sacram Theologiam adituri estis, nonnulla addemus. Patientes estote, vobis laboratis.

I.^o Una eademque substantia potest esse suppositum, et non esse. Erit suppositum, si seorsum ac per se cohæreat; non erit, si tanquam pars alteri uniatur.

II.^o Cum binæ substantiæ finitæ in unum coēunt, ratio suppositi nec in una est, neque in altera, sed in composite ex utraque; quia utraque substantia cum in toto et per totum perficiatur, habet partis rationem, non suppositi; patet id in composite humano.

III.^o Substantiæ quædam sola addictione, vel separatione ab alia desinunt, vel incipiunt esse supposita, dum-

(2) S. Tho *QQ. Disp. De pot. q. 9. a. 2. ad. 14.*

(1) Lib. de *Duabus Naturis.*

modo post separationem naturalem ordinem ad aliam non præferant, v. gr. binæ aquæ guttæ sola additione unæ ad aliam desinunt esse supposita duo, sed unum constituunt; sic lapis fractus in duas partes erunt duo supposita etc. (1).

IV. Suppositum habet naturam, et quidquid naturæ inest, sive necessario, sive contingenter; nam suppositum est sui juris, principiumque suarum operationum, operari autem pertinet ad naturam; ergo etc. Insuper, id in ente cætera, habet, quod dignissimum est, et præstantissimum in composito, reliqua habentur. Atqui suppositum est dignissimum et præstantissimum, quia complet substantiam, et facit eam esse sui juris; est insuper totum quod habet, partes vero ab ipso habentur. Ergo etc.

Sic dicimus hominen habere animam, corpus, facultates, scientiam, virtutem etc.; hæc autem haberit ab homine.

V. Suppositum est id quod agit. Etenim ejus est agere, cuius est esse. Atqui esse convenit supposito primo ac per se; nam est totum id quod est, partes vero sunt id, quo totum est. Ergo pars est id quo suppositum agit, non vero est id quod agit.

VI. Receptissimum illud axioma: *actiones sunt suppositorum*; ita est intelligendum, scilicet: suppositum esse principium *quod agit*, non vero principium *quo actiones fiunt*; hoc enim principium est natura. Hinc actiones suppositis imputantur, ab iisque denominantur. Sic homini tribuuntur actus mentis, et quæcumque aliæ actiones, et Deo Verbo actiones humanæ naturæ assumptæ.

VII. Ubi cumque igitur sunt *duæ naturæ* diversæ, ibi *duo* quoque sunt operationum *genera*, et si in *unum suppositum* coalescant, *unum erit principium* quod operatur. Sic in Christo Jesu *duæ naturæ* sunt, et una tantum persona, idcirco sunt *duo genera* operationum, sed utraque operatio est propria unius divinæ Personæ. E converso in

(1) Cons. S. Tho. In. 3. Sent. Dist. 5. q. 3. a. 3. ad. 3.

SS. Trinitate una est operatio *ad extra* trium Personarum, quia una est earum natura.

VIII. Denique in Christo Jesu unam tantum esse Personam præter fidem Catholicam, per ipsam philosophiam constat. Nam, repugnat absolute substantiam infinite perfectam suppositum ac personam non esse; substantia enim infinite perfecta non potest unquam carere eo, quod substantiam in suo genere maxime perfectam facit, alioquin non esset jam infinite perfecta; jam vero substantia finita substantialiter unita Personæ infinite perfectæ maximopere ad ipsam accedendo perficeretur, et propria illius fieret, atque hoc ipso suppositi rationem necessario amitteret. At contra Persona illa infinita repugnat ut aliquid ex unione acciperet, neque igitur potest perfici, nec suam amittere integritatem, nec Personæ dignitatem in tali unitione, sed assumptam naturam ad suam traheret personalitatem. Quare in composito hoc (si tamen compositum dici potest) personæ ratio non exugeret ab utraque natura, ut cum binæ substantiæ finitæ simul componuntur (II.^o), sed à solo assumente; ac propterea compositum, servata duplicitis naturæ distinctione, esset persona ipsa assumentis. Hoc factum nobis dat fides Catholica.

Exinde est, quod unio Divini Verbi cùm humana natura *hypostatica* dicitur; non enim in unam naturam Deus et homo coaluerunt, sed unica hypostasis, seu Persona Verbi, quæ Divinam habet Naturam, humanam quoque coepit habere. Hinc quoque est, quod Persona Christi Jesu non composita, sed simplex sit (1).

IX. Postremo, ex iis, non minus captu facilibus, quam veris concludere necesse est, quamquam aliis aliter visum fuerit, personalitatem non addere naturæ existenti aliquam novam realitatem, sed statum solummodo quemdam ac modum existendi. Unde si naturam subsistentem conside-

(1) Tong. Ontolog. l. 2. c. 1. art. 5.

remus, *natura*, *suppositum*, seu *persona sola ratione*, *conceptuque mentis* differunt. Conceptus enim naturæ præscindit ab integratatis et proprietatis conceptu, conceptus autem personæ hunc continet. Hæc conclusio si de Deo loquimur à nemine, qui recta sapiat, in dubium revocatur; sed etiam pro certa habenda est de substantiis creatis (1).

199. Non est cur immoremur in examine et refutatione opinamenti Lockiani turbæque sensistarum: sunt quædam deliramenta, quæ refutare non minus deliramentum est: tale est Lockii, quod definitioni substantiæ ab ipso traditæ (185) consentaneum est. Reponit ipse identitatem *personæ* in conscientia propriarum actionum, seu in actu, quo quis operationum, quas elicit, sibimet est conscius.

Tantum enim abest, ut conscientia nostrarum actionum identitatem personæ constituat, ut ne cogitari quidem possit conscientia hujuscemodi, nisi antea personæ identitas supponatur; nam nisi reapse idem simus, qui eas actiones conscientius ac qui eas posuimus, nullo pacto conscire nobis possumus illas actiones nostras esse.

Deinde quot absurdia ex delirio Lockii sequuntur? Pueri nedum in sinu materno, sed nec in primis vitæ annis personæ erunt; non sunt consci: amentes, dormientes etc. etc. etc. non sunt personæ; eamdem ob causam. Quæ nenia!

II.

200. Sicut substantia est res, cui convenit esse in se, non in alio; ita accidens est res cui convenit esse in alio,

(1) Cons. Opus in hac materia classicum Claudii Tiphani S. J., cui titulus: *Declaratio ac defensio scholastica doctrinæ SS. Patrum Doctorisque Angelici de hypostasi et persona*. Titulum remitto ad quemdam neotericum.

tanquam in subjecto, siquidem accidens nuncupatur ille specialis modus essendi, qui opponitur modo, quo substantia est; unde ita definitur accidens. *Ens, quod est in alio tanquam in subjecto.* Pluribus sane modis unum in alio esse potest. Est enim pars in toto; est effectus in causa; est corpus in loco; est contentum in continente, etc. Ab his omnibus modis differt esse in alio *ut in subjecto*, quod accidentis est proprium; enim ejus ipsum esse est esse in alio, videlicet, *inesse* substantiae; unde ab Aristotele dicitur accidens *ens entis*.

Notate. 1.^o Accidens *latius* et *strictius* accipi potest.

Accidens sensu lato acceptum dicitur per oppositionem ad substantiam, et est quidquid substantiam afficit, sive id *necessario* ex ejus essentia dimanet, ut sunt proprietates et potentiae naturales, sive *contingenter* ad illam pertineat, ut sunt potentiarum habitus et actus,

Sensu stricto accidens acceptum est quidquid contingenter ad substantiam pertinet, quod proinde salva ejus essentia, potest esse, vel abesse, ut figura, motus etc. Hoc est proprie accidens.

2.^o Quædam accidentia intrinsecus afficiunt proprium subjectum, ut sunt potentiae, earumque actus, motus, calor, extensio, figura, etc: quædam vero non intrinsecus afficiunt substantiam, seu subjectum, nec proprie illi insunt, sed potius sunt circa illud, ut locus, aut vestis, vel aliquo modo ad illud referuntur, ut modus ipse, secundum quod subjectum afficitur, ut intensio habitus vel actus; velocitas vel segnities motus; intensio caloris, etc. Prima illa accidentia vocantur *physica*, et etiam *absoluta*; altera vero vocantur *modalia*, si modum respiciunt secundum quod subjectum afficitur; vocantur *relativa*, si respiciunt aliquid rei extrinsecum, et sunt quæ præbent fundatum *denominationibus extrinsecis*, ut ajunt.

201. *Substantia et accidens non univoce dicuntur ens, sed analogice.* Nam etiamsi huic voci, *ens*, conceptus

unus indeterminatus respondeat, qui et substantiæ conveniat et accidenti; huic tamen conceptui ex parte rerum non una eademque ratio determinata entis respondeat, sed respondent rationes in se diversæ. Substantia enim et accidens in ipsa entis ratione discrepant; siquidem substantia est ens per se, accidens est ens in alio. Hæc analogia est analogia attributionis: accidens enim est ens per habitudinem ad substantiam.

202. Accidentia relativa, quæ fundamentum præbent denominationibus extrinsecis, realiter distingui à subjecto, est evidens.

Utrum accidentia modalia, seu quæ respiciunt modum, secundum quod accidentia absoluta afficiunt substantiam, distinguantur ab ipsis accidentibus absolutis, disputatur. Videtur non distingui distinctione reali, sed tantum distinctione rationis. Tamen hîc animadvertisse, modos duplíciter considerari posse: 1.^o relate ad accidentia absoluta, cujus modi sunt: 2.^o relate ad substantiam, cujus accidentium mensura sunt (1). Negatio distinctionis realis est in primo sensu.

203. Circa accidentia physica, seu absoluta, dicimus: ipsa distingui à substantia distinctione *reali modali*, id est, distinctione *reali inadæquata et negativa* (106). *Reali*, quia accidens hoc, v. gr. figura, motus, actus, non est formaliter et à parte rei ipsa substantia; re vera una non est aliud. *Inadæquata*, quia re secundum aliquid sunt idem, secundum aliquid non sunt; sunt idem secundum id quod venit in *recto*; quia substantia est eadem utrobique sive figurata, sive in motu, sive in quiete etc.; non sunt idem secundum appositionem, aut remotionem horum respectuum, figura, scilicet, motus, actus etc. *Negativa* secundum ea, quæ veniunt in *obliquo*, quæ sunt talium accidentium

(1) Cons. S. P. Aug. *De Genesi ad litt. lib. 4. c. 3. n. 7.*

appositiones, et eorum privationes secundum relationes partium rei modificatæ, quæ proveniunt ab actione contingenti, seu applicatione, aut cessatione termini. Cæterum, hinc clare apparet, accidentia non esse aliqua entia positiva; nullam habent entitatem realiter distinctam à substantia, alioquin possent concipi, et etiam existere talia accidentia sine substantia; vel substantia sine accidentibus (1), quod implicat; aliunde possilitas talis, vel talis modi includitur in ipsa possibilitate substantiæ; ergo cum res existit tali, vel tali modo, aliud entis non habet, nisi quod habebat, dum erat mere possibilis.

Opponent contra hanc deductionem peripatetici hoc dilemma. Sit, ajunt, inflexio digitii; vel inflexio digitii aliquid dicit plus quam digitum, vel non: si prius; ergo est aliquid digito superadditum: si posterius; ergo digitus erit semper inflexus, etiam dum rectus est, quod repugnat.

Ad hoc dilemma facilis est responsio. Digitus inflexus nihil plus dicit, quam digitus determinatus per novam relationem, quam incipiunt habere digitii partes, quin vel minimum substantia amittat, recipiat aut mutetur; sive enim digitus sit rectus, sive inflexus, aliquid entis non recipit. In hoc situs est error adversariorum, quod digitum in genere, et ab omni determinatione abstractum spectent, dum ipsum ut existentem, ac proinde ut maxime determinatum spectare deberent. Quid amplius ad risum desideratis quam id, quod semper ac ego digitum inflecto, vel rectum reddo, tot ei entitates, seu entia supervenire vel amittere, quot vices hoc agam?

204. Nulla realis distinctio admittenda mihi videtur inter corpoream substantiam ejusque essentiales proprietates, extensionem, scilicet, et vim resistendi; verumtamen hæc quæstio à priori minime resolvi potest; experien-

(1) Loquimur de substantiis finitis.

tia nobis suppeditat, substantiam corpoream his duobus attributis perpetuo se manifestari; sed circa quæstionem nihil cum certitudine statui potest.

205. Alia h̄ic occurrit quæstio: utrum, scilicet, accidentia corporum conservari possint à Deo separata à substantia.

Notate. Antiqui scholastici dividebant accidentia, aliter ac nunc communiter dividuntur, in *absoluta* et *modalia*. *Modalia* vocabant ea, quæ ita à subjecto dependent, ut sine ipso ne divinitùs quidem conservari possint, inter quæ non ea tantummodo colocabant, quæ eo quoque tempore, ex communi sententia, ut *modi* habebantur, cuiusmodi v. gr. sunt duratio, figura, actio, aliaque, sed etiam quædam alia, quæ inter formas physicas adnumera-bantur, qualia sunt v. gr. accidentia, ut ajunt, intentionalia.

Absoluta accidentia vocabant formas accidentales physicas, quæ naturaliter quidem exigunt inesse subjecto, non tamen ita, ut prorsus repugnet, ea sine subjecto conservari posse saltem divina virtute. Hæc erant quantitas et qualitas corporea.

Dividebant consequenter *inhæsionem* in *actualem* et *aptitudinalem*; et ajebant, accidentia modalia habere necessario inhæsionem actualem; absoluta vero, quamvis haberent illam naturaliter, non ita, ut saltem divina vir-tute, ut dictum est, sine illa conservari non posse, licet naturaliter ad illam ordinarentur, illamque exigerent; quod sufficit, juxta ipsos, ad hoc, ut quamvis virtute di-vina separata manerent, non ideo rationem accidentium amitterent. His ita apud ipsos statutis facile est videre, eos admisisse non solum realem distinctionem inter acci-dentia absoluta et substantiam, sed etiam talia accidentia revera de facto separata et conservata manere divina vir-tute in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento; sed quid essent in se hæc accidentia, utrum, scilicet, actiones qua-

rumdam virium; an formæ staticæ, quæ per species ad sensus immissæ facultatem sensitivam ad actum determinent; utrum quantitas distinguatur re à substantia et qualitatibus; utrum quantitas et qualitates inter se et à substantia realiter distinguantur, ut opinatur S. Thomas, numquam ipsi inter se convenerunt, in varias enim abierunt sententias, quæ referre non vacat, multoque minus ipsarum momenta perpendere.

206. Inter modernos variæ etiam circumferuntur sententiæ, quamvis physicæ difficultates à placitis scholasticorum magna ex parte eos retrahant. Sunt qui admittunt distinctionem realem inter substantiam et accidentes, et etiam modos; sunt qui admittunt solam quantitatem esse accidens absolutum, qualitates autem non esse nisi quantitatis modificationes; et opinantur, quantitatem posse virtute divina conservari separatam à substantia, et qualitates in quantitate tamquam subjecto recipi etc. etc. Quid inde? Confiteamur ignorantiam nostram. Nihil de fide circa modum, quo sensibus apparentia accidentia in Eucharistia sunt, definitum est (1).

207. Quod fides docet est: Substantiam panis et vini per consecrationis Verba transmutari in verum corpus et sanguinem Christi, quin accidentia, quæ ibi sensu percipiuntur, inhærent divino Corpori aut Sanguini: «Fides »nos docet credere realem Christi præsentiam, non autem »aut accidentia absoluta peripateticorum, aut aliud quodlibet philosophicum systema. Fides semper simplex est, »hominum additamenta ut plurimum implexa sunt ac difficilia» (2).

208. Igitur ad quæstionem: utrum accidentia corporum

(1) Cons. S. Tho. Sum. th. 3. p. q. 75. a. 5., et q. 77. a. 1.

(2) Joan. Perrone, in *prælect. Theo. Tract. de Eucharistia c. 1.* §. 119. et notam adjectam; Cons. Catechismum Rom. *Parte 2. cap. 4. n. 44.*

á Deo conservari possint separata á substantia, penitus solvendam, requiruntur cognitiones, atque solutiones aliarum quæstionum, quæ nondum solutæ sunt. Dicam tamen, admissa distinctione reali inter substantiam et accidentia, non video repugnare, ut hæc separata á Deo conserventur, ipsa tunc non subsistent *per se et in se*, quia hoc repugnat, sed subsistent virtute divina cum naturali aptitudine et ordine ad inhæsionem cum substantia. Non admissa (203) distinctione reali, tunc planum est inferre repugnantiam, ut á substantia separata conserventur accidentia; quid enim conservaretur tandem?

209. Itaque cum Deus possit efficere per se et modo eminentiori, quidquid efficit per causas secundas, nihil est quod nos prohibeat dicere: Accidentia manere á substantia separata, *non secundum entitatem*, quam prius in substantia habebant, *sed secundum entitatem effectuum*, esseque hæc accidentia sine subjecto identica cum accidentibus, quæ prius erant in subjecto, non identitate *numerica* et *absoluta*, sed identitate *relativa* et *sensibili*.

Si quis abdita naturæ satis explorata habeat, ut nos docere valeat, quæ de iis ignoramus, grato animo suscipiamus; interim mementote, quod cum de Mysteriis divinis agitur, illud semper præ oculis habendum esse; agi de rebus humanæ menti inaccessis (1).

DISPUTATIO 14.^a—DE CATEGORIA *quantitatis*.—QUANTITATUM DIVERSITAS;—ITEM PARTES. DE CONTINUÆ EXTENSIONIS CONSTITUTIONE AC DIVISIBILITATE. DE CONTINUI TERMINIS.

210. «Omnis res, ait S. Thomas (2), vel est substantia, vel accidens;» quocirca si prima categoria est substantia,

(1) Cons. Salv. Tong. Institut. philo. Cosm. lib. 1. cap. 6.

(2) Qq. Disput. de pot. q. 8. a. 2.

reliquæ novem categoriæ accidentia sint oportet, quæ, latissimo sensu acceptæ, aliæ absolute ens afficiunt, nempe sine respectu ad aliud, aliæ secundum respectum ad aliud, hæ continent omnes relationes sive intrinsecas, sive extrinsecas. De omnibus tamen breviter agemus, ordine quo communiter enumerantur. Nunc primum de quantitate.

211. Quantitas est: *Partium extra partes positio*: ejus essentia consistit in divisibilitate; aliter erroneo judicio senserunt Goudin, Cartesius aliqui pauci.

Quantitas est vel *continua*, vel *discreta*.

Continua est: *cum ejus partes conjunctæ sunt*. Hæc quantitas dicitur proprie *extensio*, seu *magnitudo*.

Discreta est: *cum partes sunt divisæ*. Hæc proprie dicitur de partibus quantitatis continuæ, analogice vero de omni numero; omnis enim numerus resultat ex unitatibus, videlicet, ex partibus illius logicæ extensionis, quæ propria est idearum universalium: Hæc quantitas etiam vocatur *multitudo*.

Continua vero quantitas potest esse vel *continua ad sensum*, vel *continua per partium contiguitatem*, vel *proprie ac vere continua*.

Continua *ad sensum* est: cum inter partes connexas aliquid est medium. Hujusmodi est continuitas corporum, quorum moleculæ aliquo interstitio separantur.

Continua *per partium contiguitatem* esset, si partes, sine ullo medio interjecto, copularentur contactu immediato suarum extremitatum. Contigua enim sunt ea, quorum extrema sese contingunt.

Denique quantitas erit *vere continua*, si in ea nullæ sint partes actu distinctæ propriisque limitibus circumscriptæ, quæ suis extremitatibus se contingent, sed solummodo partes distinguibiles ac separabiles, ut sunt in linea geometrica.

212. Hoc continuum proprie dictum aliud est *permanens*, *successivum* aliud.

Continuum *permanens* est illud; *cujus partes sibi coëxistunt*; et dividitur in lineam, superficiem, solidum.

Linea est limes superficie; superficies est limes solidi; limes lineæ est punctum, quod est principium quantitatis continuæ, quodque indivisibile est (1).

Continuum *successivum* est illud: *cujus partes sibi non coëxistunt*. Hujusmodi est tempus. Ille terminus, qui partes continui, sive permanentis, sive successivi, connectit, dicitur terminus *communis*; quia non est proprius ulli partium, quas necit, sed est finis prioris partis et principium posteriores, proindeque principium primæ partis quantitatis. Si vero consideretur speciatim de continuo successivo, sive de tempore, vocatur tempus *præsens*, quod, sicut punctus indivisibilis est terminus et principium quantitatis, ita tempus hoc præsens est terminus *præteriti* et principium *futuri*, quod præsens *ita raptim à futuro in præteritum transvolat*, ut nulla morula extendatur (2); re vera tempus præsens reale non concipitur: si esset præsens permanens non esset tempus. De hoc postea.

213. Partes, in quas continuum divisibile est, aliæ dicuntur *aliquotæ*, aliæ *aliquantæ*, aliæ *proportionales*.

Pars aliquota est: *quæ aliquoties sumpta totum adæquat*, ut sunt palmi in ulna.

Aliquanta est: *quæ pluries sumpta vel totum excedit, vel ab eo deficit, adæquat nunquam*; ut v. gr. quadratum in area circulari.

Proportionales denique partes sunt: *quæ fiunt subdividendo partes semel habitas eadem proportione, quæ prior divisio facta est*; ut cum v. gr. rectangulum bifariam dividimus in duo rectangula minora, et unumquodque ex his in duo adhuc minora secamus, et ita deinceps.

(1) Cons. S. Tho. in 1. Meta. Lect. 11.; S. P. Aug. Lib. 1. de quantit. animæ cap. 12.

(2) Cons. S. P. Aug., *Confs. Lib. 11 c. 15.*

214. De continuæ extensionis constitutione ac divisibilitate magna fuit à vetustissimis usque temporibus inter summos philosophos controversia. Zenonis stoicorum principis (362 A. C.) et postea nonnullorum, inter quos Sven- denborgius (1) et Wolfius (2), sententia fuit, continuum ex indivisibilibus ordine dispositis coalescere (3); lineam nempe componi ex punctis, superficiem ex lineis, solidum ex superficiebus. E contrario Plato et Aristoteles cum omnibus mathematicis hanc continui compositionem negant, docentque, continuum integrum quiddam esse, quod in partes semper continuas sine fine divisibile sit. Cum quibus sit

215. PROPOSITIO I. *Continuum proprie dictum in partes proportionales sine fine dividi potest.*

Ad hanc propositionem demonstrandam, omissis plurimiis aliis, hoc sufficiat argumentum.

Ut ex punctis linea exurgat, puncta se tangant oportet. Atqui non possunt ullo modo se tangere secundum sui partem, quia punctus partes non habet. Ergo si se tangunt, secundum se tota se tangunt. Quæ autem secundum se tota se tangunt, sunt simul tota, nempe se compenetrant, ac proinde continuitatem non possunt efficere. Ergo continuum ex indivisibilibus tanquam ex elementis non potest coalescere. Ergo repugnat continuum in indivisibilia resolvi. Ac propterea quantumvis continuum divisum concipiatur, partes, quæ divisione fiunt, nunquam indivisibles erunt, sed semper ulterius divisibles.

Hoc autem non vult dicere, continuum dividi posse in partes numero infinitas, sed solummodo *indefinitas*, et

(1) *Princip. rer. nat.* §. 2.^o

(2) *Cosmolog.* §. 218.

(3) *Cons. S. Tho. 8. physi. Lect.* 17.

partes esse distinguibiles in potentia tantum (1).

Hinc habemus aliam continui definitionem, scilicet; *quod est divisibile in partes semper divisibiles, quarum extrema sunt unum.*

Hæc autem indefinita elementa vos minime terrebunt, si consideratis magnitudinem omnem relativam esse. Propterea cum divisio partes dederit, quas vos minimas dicetis, partes illæ revera minimæ non erunt, sed solum admodum parvæ spectato certo quodam termino comparationis, et certa quadam facultate preceptiva; sed si alium terminum comparationis assumamus, aliamque perceptivam facultatem, portiones illæ erunt magnæ, atque adeo maximæ, commode divisibles; et ita deinceps in infinitum. Unde perspicitis, hanc propositionem: *continuum est in infinitum divisibile*, fere congruere cum illa: *omnis magnitudo relativa est*, quam propositionem nemo negat.

216. Alia h̄c quæstio occurrit de continui terminis.

Hujusmodi termini, ut jam insinuavimus, sunt: *punctum* terminus lineæ; *linea* terminus superficiei; *superficies* terminus solidi. Jam de his tria quæri possunt: 1.º an sint extra mentem in corporibus? Cui respondemus affirmative; est enim evidens, nisi puro putoque idealismo nomen dari velimus: 2.º an inter se realiter distinguantur? Cui res pondemus, lineam et superficiem, prouti sunt reales corporum dimensiones, à soliditate (corporeitatem veteres appellabant) re non distingui: 3.º an sint in corporibus aliud positivi? Cui sit:

PROPOSITIO II.^a *Termini quantitatis vere continuæ nihil sunt positivi, sed meræ privationes.*

Nota. Illi termini alii sunt *terminantes* quantitatem, alii vero *copulantes* partes designatas in continuo, ut est

(1) Cons. Benedictum Pererium. *Lib. 10, De rerum principiis c. 13.—14.*; Cajet. Sansev. *Elem. Philo* etc. *Volum. 2. c. 4. art. 1.*

v. gr. punctum, quod signatur in recta per demissum in ea perpendicularum: quod punctum, unius partis initium, est simul idem ac alterius finis.

217. Jam vero hujusmodi termini, sive terminantes sint, sive copulantes, vere quidem sunt extra mentem; vere enim continuum suos limites habet, vereque partes in continuo designatae copulantur (1). Attamen non possunt dici esse aliquid in se positivi, sed merè privationes, nempe negationes in subjecto apto ad oppositum. Nam quidquid in rerum natura est, determinatum *esse* habet, ac proinde quantitas continua, prout in rerum naturâ est, determinatam formam habeat necesse est; sed quod formam determinat est limes, seu id ultra quod nihil est, quod ad quantitatem pertineat. Atqui limes est mera negatio ulterioris realitatis. Ergo termini nihil positivi sunt. Et profecto, quid aliud est v. gr. punctus in concreto, nisi linea quatenus tanta est et ultra non protenditur? Qui vero punctum ut positivum aliquid concipiunt, rem ponunt omnino superfluam. Nam sine hac *entitatula* linea adhuc terminata remanet. Idem dicite de cæteris indivisibilibus.

DISPUTATIO 15.—DE CATEGORIA *relationis*.—*QUID SIT* *RELATIO ET QUOTUPLEX.—RELATIONES REALES.*

218. Relatio, prout categoria est, denotat illum modum essendi, secundum quem substantia ita comparata est, ut ordinem ad aliud habeat. Quapropter *esse* relationis ab esse cæterorum accidentium in eo differt, quod illud non solum in substantia, veluti in subjecto, inest, sicut cætera accidentia, sed etiam efficit, ut substantia, in qua inest, ad aliud referatur. Unde intelligitur non aliam speciem

(1) Cons. Caj. Sansev. *loc. cit.*

relationis, nisi quæ *realis* proprie et stricte dicitur, inter categorias numerari; hæc enim sola est, quæ denotat modum speciale *esse* in rebus.

219. Relatio definiri solet: *Ordo*; *habitudo*, seu *respectus unius entis ad aliud*.

Ad relationem constituendam tria requiruntur.

Subjectum, quod et *relatum* dicitur; videlicet, ens, quod ad aliud respectum, seu habitudinem dicit.

Terminus, seu *correlatum*; videlicet, ens, ad quod aliud ordinem, seu respectum dicit.

Fundamentum; et est *id*, *secundum quod*, vel propter quod, unum ens ad aliud talem respectum, seu habitudinem dicit.

V. gr. Cum lineam A dicimus æqualem lineaæ B, subjectum hujus relationis est linea A, terminus linea B, fundamentum est longitudo linearum. Sic in relatione discipuli ad magistrum; *discipulus* est *subjectum*, *magister* est *terminus*, *doctrina accepta* est *fundamentum relationis*.

220. Hoc vero fundamentum, seu *id*, *ob quod termini sunt proxime relative denominabiles*, vel est aliquid, quod relationis subjecto inest, vel est aliquid, quod non in relationis subjecto, sed in alio consistit. Si primum, relatio est ac dicitur *intrinseca*; si vero alterum, *extrinseca*, et pertinet ad relationes rationis, de quibus immediate. Tales relationes sunt *esse cognitum*, *esse honoratum*; sunt enim actus cognoscentis, et honorantis, non cogniti et honorati. Sic inter creaturas et Creatorem; creatura dicit realem relationem intrinsecæ dependentiæ ad Creatorem, sed Creator ad creaturas nullam habet realem relationem, et si solam *extrinsecam denominationem*.

221. Relatio alia est *realis*, alia *logica*.

Relatio *realis* est illa, quæ viget inter res independenter ab intellectū consideratione et comparatione. Talis est relatio causam inter et effectum.

Relatio logica est, quæ fingitur ab intellectu, cum aliquid, quod in re absolutum est, tamquam formam ad aliud ordinatam concipit. Talis est relatio identitatis entis cum seipso.

Relatio potest esse:

I.^o Realis in utroque correlato, et tunc dicitur *mutua*, seu *perfecta*; ut inter patrem et filium; creaturam et Creatorem. Hæc relatio dicitur *eiusdem denominationis*, cum fundamentum est in utroque ejusdem rationis; talis est v. gr. relatio similitudinis inter duos parietes albos etc. Dicitur *diversæ denominationis*, cum fundamentum relationis est in utroque relato diversum; talis est v. gr. inter causam et effectum.

II.^o Potest esse realis in altero relatorum, in altero vero logica; hæc dicitur relatio *non mutua*, seu *imperfecta*. Hujusmodi est relatio inter scientiam ejusque objectum; inter hominem existentem et alium hominem possibilem; inter universalia et individua.

III.^o Denique potest esse logica in utroque relato; exemplum adest in identitate rei secum ipsa.

222. Ut relatio sit realis quatuor requiruntur:

1.^o Ut subjectum sit reale; et hoc per se patet.

2.^o Ut fundamentum quoque reale sit in subjecto. Relatio enim aliam realitatem non habet, quam realitatem fundamenti. Si ergo fundamentum reale non sit, aut subjectum vere ad aliud non ordinet, ipsa relatio non potest esse realis.

3.^o Ut terminus sit realis et realiter existens. Excipe eas relationes, quarum subjectum est mens, vel etiam voluntas. Harum enim facultatum sive actus, sive habitus ad objecta quoque possibilia, et ad entia rationis relationes reales ineunt.

4.^o Ut fundamentum à termino realiter distinguatur. Secus nec relationis subjectum erit à termino realiter distinctum; ideoque nullus erit realis ordo unius ad alterum,

sed unius dumtaxat ad seipsum, qui quidem ordo mera est relatio logica.

Si qua ex iis conditionibus desit, eamque suppleat intellectus, relatio erit logica: ita v. gr. relatio identitatis inter universalia et individua logica est ex primæ conditionis effectu.

Nonnulli rigidiores scholastici non minus falso quam ridiculè præter has conditiones exigebant ad relationes reales constituendas, nescio quam formam, seu *entitatulam* superadditam rebus. Superfluum quoddam ac incredibile. Nos absque dispedio, imo magno temporis lucro, possumus ipsis dimittere has quæstiones et entitatulas (1).

223. Hic animadvertisendum est, ad veram relationem constituendam necesse non esse, ut oppositio relativa intercedat inter substantias, sed satis esse, ut intercedat oppositio modi, quo termini, sive extrema correlata ad se invicem referuntur. Si vero oppositio sit inter substantias dicitur, ad *aliud*; talis est oppositio, quæ in creatis intervenit. Si tantum sit circa modum, relatio dicitur ad *alterum*; talis est oppositio, quæ habetur in Divinis (2). Nunc sit

224. PROPOSITIO. *Manifestum est esse in rerum natura relationes reales.*

Demonst. 1.º Quamquam unius rei cum altera comparatio sine intellectū operatione habere locum non possit, nihilominus inest rebus ipsis, independenter ab intellectu, ordo aliquis et respectus ad aliquid aliud, quod hujusmodi comparationis fundamentum suppeditat. Atqui tunc ter-

(1) Consul. si placet, Fortunat. à Brixia, *philos. mentis tom. 2. Diss. 4. sect. 2.*

(2) Sacro-S. Conc. Later. IV. cap. 2. ait: Quælibet trium Personarum est illa *res*, videlicet *substantia*, *essentia*, seu *natura* divina. Et illa res non est generans, nec genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus-Sanctus, qui procedit.

mini ad invicem ordinati, tum principia ipsius ordinis sunt in rebus quid reale. Ergo existit in rerum natura ordo realis. Minor evidens est vel paululum attendenti. Termini sunt res omnes, quas conspicimus; principia sunt aequalitas vel inaequalitas inter ipsas; similitudo seu dissimilitudo; esse causa, vel effectus; sed haec omnia sunt in rebus ipsis independenter ab intellectu cognitione. Etenim independenter ab intellectu cognitione causa *influit esse in effectum*; homo magis cum homine, quam cum equo convenit, aut planta. Imo totus mundi ordo, rerumque harmonia et pulchritudo, quas nemo sanus nisi scepticus vel atheus negare potest, relationibus continentur (1). Ergo si realiter est ordo in rebus et harmonia et pulchritudo, existunt profecto relationes reales.

2.^o Præterea, dependentia creaturarum à Creatore, Deo, ita est illis essentialis, ut ne cogitatione quidem præcidi à creaturis possit; cum enim creaturam concipimus, ens concipimus à Creatore pendens, ne aliter possumus creaturam concipere. Innumera prope sunt, quorum realis est dependentia unius ab altero; ipse ordo et dependentia inter membra tum corporis physici, v. gr. nostri, tum corporis moralis, ut societas, hoc ipsum confirmant.

3.^o Id ipsum ex ipsis Mathematicis constat, præsertim ex doctrina rationum et proportionum; sive enim mens cognoscat, sive non cognoscat: eadem proportio, quæ est duorum ad quatuor, eadem est proportio trium ad sex; eadem quæ est octo ad quinque, eadem est viginti quatuor ad quindecim etc.; jam vero quid aliud est proportio, quam habitudo, seu ordo, et relatio quantitatum, earumque rationum inter se?

(1) Nazianzenus, *Orat.* 26, ait; «Ordo omnia constituit et colligavit. »Ordo cælestia, et terrestria continet... Atque ordine quidem florente, «ac dominante mundus est. Universum hoc, ac pulchritudo certa, et »stabilis etc.»

Eadem dicenda sunt de relationibus inter actiones liberæ voluntatis et morum, seu honestatis regulas, Nam si hæc non sunt quid reale, destruitur realis differentia inter bonum et malum, virtutem inter et vitium.

225. Hæc omnia, aliaque quamplurima evidenter confirmant assertum, quin necesse sit petere argumenti confirmationem à realibus relationibus inter Divinas Personas, quas reales relationes nemo catholicus negare potest, nisi transfuga velit sub hæresis Sabellianorum vexillum reprobationis æternæ reum se constituere.

226. Causa, ob quam nonnulli negarunt relationes reales, fuit, quia credebant, tunc necesse esse admittere illas entitatas, seu nescio quas formas superadditas rebus; quasque jure meritoque ut incredibiles et ridiculas repudiabant.

De relationibus identitatis et distinctionis etc. alibi dictum est; de relatione causalitatis infra suum servamus locum. D. q. d. e.

DISPUTATIO 16.^a.—DE CATEGORIA *qualitatis*, QUÆ EST QUARTA.

227. Qualitas est: *Quidquid substantiam compleat ac perficit, sive in existendo, sive in operando* (1) Unde infertur quasdam qualitates ad ipsum esse substantiæ perficiendum ordinari; quasdam vero ad ejus operationes. Jam

Ad qualitates, quæ ipsum esse substantiæ perficiunt, pertinent:

1.^o *Figura*, quæ est modus, seu terminatio quantitatis, quæque *forma* rei externa dicitur, prouti consideratur ut est in subiecto corporeo.

2.^o *Sensibiles qualitates*, quatenus ex ipsa corporum

(1) Cons. Alber. M., in prædicam. c. 1.; Suarez, *Met. Disp. 42. Sect. 1. n. 5.*

sive permanente constitutione, sive transeunte immutatione resultant.

3.^a *Qualitates quædam compositæ*, quæ nempe ex pluribus coalescunt, ut v. gr. pulchritudo materialis et harmonia (139).

228. Ad qualitates, quæ ad substantiæ operationes perficiendas ordinantur, spectant:

1.^o *Potentiae naturales*. Est autem potentia: *Principium proximum alicujus operationis, ad eamque naturâ suâ institutum et ordinatum*. Dicitur principium proximum, quia principium remotum principale est substantia.

Potentia potest esse, vel *activa*, vel *passiva*.

Potentia activa, quæ et *vis* dicitur, est ea, quæ mutationem aliquam producit; v. g. facultas locomotiva, quæ est animalium propria. Potest potentia esse vel *pure activa*, vel *activa simul et passiva* sub diverso respectu, ut v. gr. intellectus.

Potentia passiva est, quæ mutationem recipit, ut v. gr. sensitiva facultas, quatenus objectorum impressiones recipit.

Potentiae ordinantur ad actus, unde potentiarum differentiæ ab actibus desumuntur, diversitas vero actuum desumitur ab adæquata diversitate objectorum. Legite S. Thomam (1).

2.^o *Habitus*, id est: *Qualitas ex se stabilis, ordinata ad potentiae operationem adjuvandam ac facilem reddendam*, cujusmodi sunt v. gr. scientia, temperantia. Potest etiam habitus definiri: *Facilitas quædam orta ex repetitione plurium actuum specie similium, inclinans ad similes actus repetendos*.

3.^o *Actus immanentes*, id est, actus potentiarum, qui ipsam potentiam, à qua eliciuntur, perficiunt, ut sunt actus videndi et intelligendi. His prædictis sit

(1) *Sum. Theol. 1. P. Q. 77. a. 3.*

229. PROPOSITIO I.^o *Quædam qualitates contrarium habent, non tamen omnes.*

Contraria sunt binæ res positivæ, quæ intra idem genus maxime distant, et quamvis in eodem subjecto vicissim esse possint, numquam tamen possunt esse simul. Atqui ut quædam qualitates non possent esse simul in eodem subjecto, necesse esset, ut constarent notis mutuo sese excludentibus; sed ita est quod sunt quædam qualitates, quæ notis sese excludentibus non constant; ergo, etc. Minor patet; etenim potentiae nihil possunt habere contrarium. Quod contrarium habere possunt intellectus, voluntas, et sensibilitas? Diversæ corporum figuræ possunt esse disparatæ, non vero contrariæ.

At inter qualitates sensibiles, inter habitus, et inter actus immanentes habet locum vera contrarietas. Ita candor nigredini, virtus vitio, opinio vera errori contraria sunt; excipe tamen habitus principiorum.

230. PROPOSITIO II.^o *Qualitates sensibiles et quæ compositæ sunt, habitus item et actus sunt graduum capaces; non vero figuræ et potentiae naturales, saltem in eodem subjecto.*

Gradus est quædam propemodum qualitatis quantitas, quæ ex effectibus mensuratur. Augmentum autem qualitatis, ex qua gradus ejusdem exsurgunt triplex esse potest, videlicet:

1.^o Augmentum *extensivum*; quod habetur quotiescumque qualitas ad plura se porrigere potest, quæ intra proprii objecti ambitum continentur, ut v. gr. scientia.

2.^o *Intensivum*; cum nempe plus minusve qualitas aliqua à subjecto participabilis est, ut v. gr. virtus temperantiæ, humilitatis, obedientiæ, etc.

3.^o *Additione subjecti ad subjectum*; cum, videlicet, plura subjecta eamdem qualitatem participantia simul

conjuguntur, ut si nardus nardo conjugatur majorem odorem emittet (1).

231. Manifestum est autem: 1.º qualitates sensibiles et intensivo augmento, et additione subjecti ad subjectum crescere posse, ut patet v. gr. in undis sonoris et luminosis.

2.º Qualitates compositas vel uno modo, vel altero incrementa, vel decrementa admittere posse, facile intelligitur ex hoc ipso quod ex pluribus resultant qualitatibus:

3.º Habitus et actus crescere possunt augmento extensivo, ut v. gr. scientia, et acumen ingenii, et etiam intensivo, ut virtus et intellectus assensus.

4.º Figuræ autem non sunt graduum capaces, quia se habent ut numeri, in quibus gradus esse non possunt; impossibile est ut unum triangulum v. gr. sit magis triangulum, quam alterum.

5.º Denique potentiae naturales (omissa quæstione, utrum in diversis individuis ejusdem speciei majores, minoresve esse possint in se) videtur in eodem subjecto incrementa, vel decrementa in se admittere non posse. Dimanant enim immediate ab ipsa essentia substantiæ, essentia autem semper est eadem. Ad agendum tamen quasdam, ut plurimum, requirunt conditiones, et quædam etiam possunt contra se habere impedimenta. Atque hinc est, quod earum potentiarum actio non eodem modo est intensa (2).

232. Nunc quoad habitus notate: eos posse esse *acquisitos*, vel *infusos*. Acquisiti sunt illi de quibus egimus; per actus generantur.

Habitus infusus est ille, qui influxu ipsius Dei produci-

(1) «Qualitates, ait S. P. Aug., de subjecto in subjectum transire non »migratione, sed affectione et contagione» Cont. Jul. pelag. L. 5. c. 14.

(2) Hæc apud Salv. Tong. Inst. phil., Onto. lib. 2. cap. 2. art. 1.—2. etc.

tur. Qui habitus, quoad ipsam rem, contineri potest intra naturæ limites, et illam excedere tantum quoad modum, ut v. gr. donum linguarum Apostolis collatum; scientia nonnullis sanctis communicata; vel potest omnem naturæ facultatem excedere, ut est v. gr. habitus fidei Theologicæ, charitatis, spei. etc. De iis Theologi.

SECTIO QUINTA.

DE RELIQUIS SEX CATEGORIIIS.

DISPUTATIO 17.¹—DE CATEGORIIIS *actione et passione.*

233. *Actio*, ut in Logica dictum fuit: *est mutatio quævis, quatenus procedit à causa activitatem suam exercente*, ut est calefacere, movere etc.

Passio est: *mutatio, quatenus in aliquo recipitur*, ut est calefieri, moveri, ira affici, vel gaudio.

Jam igitur *actio* denotat emanationem alicujus ab aliquo. Id, quod ex alio in aliud emanat, *effectus* nuncupatur; id, à quo effectus producitur, *agens*, vel causa efficiens; id denique, in quod actio terminatur, sive à quo actio recipitur, *patiens*, et ipsa receptio actionis *passio* nuncupatur.

Agere vero illud dicitur, quo interveniente aliquid efficitur, quod antea non erat.

234. Certum est, substantiam non semper agere omne id, quod agere potest. Quapropter *actio*, et *passio*, quæ ei respondere solet, ab ipso esse substantiæ *creatæ* distinguuntur (1), atque inter accidentia, quæ illam deter-

(1) Dixi *creatæ*, quia Divina Substantia, quæ est actus purissimus, perfectissimus ac simplicissimus, semper agit quæ agit, et actio ejus est ipsa Divina Substantia, cui actioni respondet effectus in tempore præfinito ab intellectu per imperium voluntatis, quæ præfinitio, et quod imperium, seu voluntatis decretum, sunt etiam ipsa Divina Substantia.

minant, numerantur; et ex hoc inter categorias recensentur, quia *actio*, et *passio* indicant modum specialem, quo ens determinatur.

235. In actione considerare possumus quemdam motum, quatenus incipit ab aliquo et ad aliquem terminum tendit; tamen quamvis actio et passio convenient in substantia unius motū, cuius origo est in actione, et terminus in passione, nihilominus actio et passio distinguuntur revera ab invicem secundum diversas habitudines (1), quia diversa est ratio, quā agens et patiens ad eumdem motum se habent; nempe in actione importatur respectus *ut a quo est motus in mobili*, in passione vero *ut qui est motus ab alio*; seu, ut Scholastici ajebant, calor v. gr. est *actio* quatenus est *ab hoc in hoc*, puta a sole in atmosphærā; est *passio* quatenus est *in hoc ab hoc*, puta in atmosphærā a sole. Utriusque autem termini sunt realiter distincti.

236. Actio potest esse *immanens*, seu intransitiva; vel *transiens*, seu transitiva.

Immanens ea est, cuius effectus in ipso agente recipitur; ita ut idem subjectum sit principium et terminus actionis; v. gr. *actio*, quā voluntas se ipsam determinat ad amandum.

Transiens est ea mutatio ab agente producta, et ab alio distinto recepta; ita ut aliud sit principium actionis, aliud vero terminus; v. gr. cum voluntas alias potentias determinat, item in aliis agentibus, ut movere, illuminare, etc.

Itaque *actio immanens* est perfectio ipsius agentis, *transiens* autem patientis; v. gr. cum animus aliquid intelligit perficit seipsum, non id, quod intelligit; contra cum voluntas applicat alias potentias ad suos eliciendos actus eas perficit, item cum sol illuminat, non se ipsum, sed alia perficit.

(1) Cons. S. Thom. Sum. th. 1. p. q. 28. a. 2 ad. 1.

237. Denique duo sedulo animadvertisite. 1.º Cum actio dicitur *transiens*, non dicitur prout est actio, seve affectio agentis; nam hoc modo spectata in ipso agente remanet, sed solummodo dicitur ratione termini, sive effectū; quia cum hic sit aliquid ab actione distinctum, extra subjectum agens esse potest. 2.º Substantia non agit in aliud ipsi aliquid suum communicando.

Substantia itaque, quæ agit in materiam præexistentem, agit vel per *identitatem cum ipsa*, ut anima in se ipsam; vel per *unionem physicam cum illa*, ut anima in corpus; vel per *contiguitatem*, ut manus in baculum; vel *mediante instrumento*, ut pictor in linteum; vel *per contactum virtutis*, ut spiritus in spiritum.

Illa vero substantia, quæ non agit in materiam præexistentem, miro modo agit per voluntatem: talis agendi modus est solius infinitæ Substantiæ.

Notate denique, cum aliqua substantia in aliam agit, nihil in eam efficere potest, nisi id, ad quod erat in potentia, ita scamnum, aut priapum ex ligno aut metallo etc., non ex aqua fieri potest. De actione et passione in Creatione alibi agendum est; nunc de notione principii, causæ et originis.

238. Ac primo: Principium est: *id, à quo aliquid quo-cumque modo consequitur: seu, est illud, quod habet in se rationem principiati.* Principiatum vocatur illud, *quod ab alio consequitur;* necesse est igitur ut principium et principiatum aliquo modo distinguantur, sed non est necesse, ut distinguantur quoad *essentiali*m, sufficit ut distinguantur quoad modum enascendi ac terminandi essentialiam.

239. Ad rationem principii duo requiruntur: 1.º ut inter principium et principiatum sit aliqua consequutionis conexio: 2.º ut principium sit aliquo modo prius principiato.

Connexio inter unum et alterum potest esse *extrinseca*, vel *intrinseca*.

Connexio *extrinseca* continetur in mera consequutione

unius post alterum: sic aurora dicitur principium diei. Principium hoc modo cum suo principiato connexum proprie dicitur *initium*.

Connexio *intrinseca* constituitur per positivum influxum unius in aliud. Triplex hujusmodi principiorum genus distinguitur: 1.^o principium *cognitionis*, seu *cognoscendi*, quod rationem continet: *cur aliquid cognoscatur?* (*Disp. 3. pag. 20.*), de ipso loquuti sumus in Logica, ubi de motivis certitudinis: 2.^o principium *possibilitatis*, seu *essendi*, quod rationem continet: *cur aliquid est possibile?* de hoc sermo fuit supra in tota Disputatione 6.^a à n. 64.: 3.^o principium *actualitatis*, seu *existendi*, quod rationem continet: *cur aliquid existat?* de hoc ultimo hīc erit sermo. Unde principium potest etiam cum Aristotele definiri: *id unde aliquid est, aut sit, aut cognoscitur.*

240. Prioritas, quā principium præ principiato gaudere debet, triplicis generis esse potest:

1.^o Prioritas *temporis*, quæ consistit in eo, quod principium existat prius quam principiatum: sic Jesus-Christus crucifixus fuit prius quam S. Petrus.

2.^o Prioritas *naturæ*, quæ consistit in eo, quod principiatum dimanet et dependeat á natura existente alterius, sed simul ac hæc natura ponitur, ponitur etiam principiatum: sic calor et ignis; ignis est prius calore, quam diffundit: sic Sol est prius luce, quam causat, etc.

3.^o Prioritas *originis*, quæ consistit in eo, quod principiatum solummodo á principio procedat, quin tamen naturam, aut existentiam á principio habeat dependentem; vel pressius, consistit in eo, quod principium suam ipsam substantiam propriam faciat propriam principiati. Hæc est tantummodo propria divinarum Personarum.

241. Affinis notioni principii est notio *processionis*, *generationis* et *causæ*. Jam vero:

Processio est: *Origo unius ab alio*; potest autem esse vel ad *intra*, ut dicitur inter Theologos, vel

ad extra: recolite actiones immanentes et transeuntes.
Magis se extendit, quam generatio.

Generatio est: *Origo viventis à principio vivente con-juncto in similitudinem naturæ.* Hæc similitudo debet esse non solum generis, sed etiam speciei (1).

Causa generatim definitur: *Principium influxu suo de-terminans aliquid sibi insufficiens ad existendum;* seu *Principium influens esse in aliud.* In qua definitione vox illa, *principium,* generis locum tenet; sequentes *influxu suo,* principium cum principiato intrinsecè connexum de-signant; cætera palam faciunt, causam esse principium na-turâ prius re, quam facit. Id, quod causa facit, seu ab ipsa suum esse recipit, vocatur *effectus.*

Notate. Duplici modo causa spectari potest, *materia-liter,* videlicet, et *formaliter.* *Materialiter* spectatur, si in se consideretur ut tale ens, sine relatione ad effectum. *Formaliter* autem spectatur, si consideretur quatenus tale ens dat esse alteri.

Causa formaliter spectata *suo effectu* prior est tantum *ratione,* sive naturâ, non tamen *tempore;* sed causa ma-terialiter spectata potest esse prior *tempore* (240).

242. Ex notionibus principii et causæ, jam perspicitis quid differentiæ unum inter et alteram intersit, sed tamen audite S. Thomam (2); principium nihil aliud significat, ait ipse, quam id, à quo aliquid procedit; omne enim, à quo aliquid procedit quocumque modo, dicitur principium. Ast hoc nomen causæ videtur importare... dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principii (3).

(1) Cons. S. Tho. Sum. Th. I. P. Q. 27 a. 2.; Suarez. *De Trin.* lib. 9. cap. 1. seqq.

(2) Sum. Th. I. P. Q. 33. a. 1.

(3) Hinc Theologi, cum, post Patres, præsertim latinos, docent, Patrem esse principium Filii, Patrem vero et Filium esse principium Spiritus Sancti, nihil Deo indignum asserunt, sed recte, proprieque

243. Jam ad varias causarum classes designandas progrediamur. Causa tum à Patribus, tum à Scholasticis post Aristotelem in quatuor disperiuntur classes, videlicet; in *efficientem*, *materiale*, *formalem* et *finalem*. Quae distinctio ita probari potest. Nullus effectus produci potest: nisi sit aliquod ens, à quo producatur; nulla enim res potest esse causa sui ipsius. Ens istud, quod virtute sua effectum producit, ipsumque à potentia ad actum transfert, *efficiens* causa vocatur. Jam vero nulla creata vis potest efficere, sive producere ullum ens ex *nihilo sui et subjecti*, unde omnis vis creata indiget, ut suo loco videbimus, *subjecto*, sive *materia* in quam agat, et ex qua effectum efficiat, et formet. Ergo præter causam efficientem ad effectum producendum, requiritur causa *materialis*. Cum vero *materia* sit naturâ suâ indifferens ad hoc potius, quam ad illud *esse recipiendum*, necesse est ut *materia* per aliquid determinetur, ut certus aliquis, distinctusque effectus oriatur. Atqui id, quod *materiam* determinat, est *forma*, et vocatur causa *formalis*. Ergo præter efficientem et *materiale*, est causa *formalis* (1). Denique, quoniam omne agens effectum determinatum producit, aliquid esse oportet,

Ioquuntur: Siquidem principium potest denotare ordinem originis, quin ullam distinctionem naturæ, ullamque prioritatem sive temporis, sive naturæ includat. Illud autem cum S. Bonaventura advertendum est; nullum esse in rebus creatis principium, quod simul causa non sit; in iis enim quidquid ex aliquo principio oritur, semper naturam ab illius natura saltem numero distinctam recipit, proindeque ab eodem dependet. In creaturis, ait ipse, idem est principium et causa, et hoc est, quia productum differt à producente, et ideo potest dici effectus ejus, et istud potest dici causa, et in idem concurrit intentio principii, et causæ, et similiter nomen; sed non ita in divinis, quia ibi potest esse unius substantiæ producens cum producto. In lib. 1. Sent. Dist. 29 a. 1. Q. 1. ad argum.

(1) Cons. S. Tho. 2.^a 2.^æ Q. 27. à 3. in corp. à princ.

propter quod unum potius, quam alium effectum gignat. Jam vero, illud, propter quod agens aliquid operatur, *finis* dicitur. Ergo omne agens agit propter finem, jam finem ipsum agens, si est intelligens, sibi præstituat, jam, ut non intelligens, ipsi præstituatur à naturæ Auctore. Quamobrem, præter tria genera causarum, quæ numeravimus, quid aliud existit, quod *causa finalis* vocatur, quæ posita est in bono, quod causam efficientem ad operandum movet. Nonnulli iis causam *exemplarem* addunt; ratio: causa efficiens, quæ intellectū pollet, nequit formam effectui suo impertiri, nisi eam sua cogitatione concipiat; necesse est enim, ut effectus causæ intelligentis sit prius in arte quam in re (1). Hæc forma, quæ in mente causæ efficientis existit, et ad cuius imitationem aliquid fit, causa *exemplaris* dicitur. Ergo præter quatuor enumeratas classes, est *causa exemplaris*. Attamen causa exemplaris ad formalem reducitur, hoc solo discrimine, quod hæc formalis est interna, exemplaris externa effectui.

Ab his omnibus differunt *occasio*, et *conditio*, ut videbimus: ad eas ordine examinandas transeamus, pro nunc d. q. d. e.

DISPUTATIO 18.^a — DE CAUSA EFFICIENTE, DEQUE IIS, QUÆ AD IPSAM SPECTANT.

244. Recensisitis iis, quæ actionem et passionem, cæterasque notiones ipsis affines spectant, enucleata causæ notione, variisque causarum classibus stabilitis; nobis visum fuit de iis ultimis sermonem separatim instituere. Itaque

Causa efficiens, quæ sola causæ proprie dictæ nomen

(1) S. P. Aug. *Tract. 1. in Johan.* circa finem.

sibi vindicat, est: *Id à quo aliquid fit*; seu, ea est, quæ rationem existentiæ alterius ita continet, ut vi et actione sua propria effectum ad existendum determinet. Sic Deus est causa hujus Universi, quem creavit: sic etiam anima est causa efficiens cuiuslibet suæ determinationis liberæ.

245. Causæ efficientis propria est *activitas*, seu *vis agendi*; per hanc enim ea influit in effectum existentiam ipsi tribuendo. Activitas enim est: *id, quo causa efficiens mutationes inducit*. Si hujusmodi vis activa existat in ente, quin actu exerceatur, dicitur vis, seu potentia *in actu primo remoto*. Si huic vi adsunt omnia, quæ ad agendum requiruntur, dicitur *actus primus proximus*. Denique ipsum activitatis exercitium, seu activitas in actu, dicitur *actus secundus*. Illa requisita, ut actus primus remotus fiat proximus, vocantur *conditiones*. Sunt enim *conditiones* ea omnia, quæ necessaria sunt, ut causa agat, non quia causæ rationem participant, sed quia virtutem causæ disponunt et applicant ad agendum, vel saltem *impedimenta* removent, quæ actionem prohibent. Ita v. gr. lux requiritur ad scribendum, et compedium solutio ad ambulandum.

246. A causa item efficiente, et etiam à conditione distinguenda est *occasio*, quæ est *id, quo cognito, vel posito aliquid fit*. Differt à causa efficiente; quia non ab occasione activitate effectus existentiam accipit. Deffert à conditione; quia occasio ex se non requiritur ad hoc, ut causa agat, posset enim agere sine illa. Sæpenumero tamen occasio allicit et invitat causam efficientem ad agendum, vel ad agendum hoc tempore magis quam alio.

Nunc de causa efficiente in genere nonnullas statuimus *assertiones*, deinde ejus varias species enumerabimus, et propugnabimus contra Occasionalistas efficientiam causarum secundarum.

247. I.^a *Non datur effectus sine causa*. Etenim nulla res existit, sine ratione sufficiente cur existat potius, quam non existat, cur sit tali potius, quam alio modo. Atqui si

daretur effectus sine causa, jam nulla esset ratio potius existeret, quam non existeret; cur hoc potius, quam alio modo. Ergo etc. Præterea, nihili nullæ sunt proprietates, nullus igitur effectus absque ulla causa extra nihilum prodire potest.

Dicetis, si ita est, quid est quod per has voces significatur: *casualiter*; *casus fortuitus*? Dico, has voces dupli sensu accipi posse, *absolute* vel *relative*. *Absolute* casus fortuitus est *eventus sine ulla prorsus causa*; in hoc sensu est prorsus absurdus. *Relative* casus fortuitus est *eventus nec intentus, nec prævisus*, in hoc sensu casus fortuitus acceptus, est prorsus absurdus *respectu Dei*, quamvis enim nonnulla ipse non intendat, ut est peccatum, tamen omnia sapientissime videt: *respectu* autem hominum certus esse potest; multa enim accidere possunt, quin homo prævideat, nec causam agnoscat.

248. II.^a *Nullum ens sui ipsius causa efficiens esse potest*. Etenim hoc ens cum se producit, jam existit, quia agit; prius est enim esse, quam agere; et simul non existit, quia se producit. Ergo ita repugnat ens se ipsum produce, ut repugnat idem simul esse et non esse.

249. III.^a *Duo entia non possunt esse sibi invicem causa efficiens*. Nam si ens A producit ens B, dicendum necessario esset, ens A esse naturâ prius ente B; quod si ens A producitur simul ab ente B, erit simul ens A naturâ posterius ente B; esset ergo ens A prius simul et posterius ente B; quod plane repugnat.

250. IV.^a *Quidquid perfectionis est in effectu, aliquo modo præcontinetur in causa*. Ratio est manifesta. Nemo dat quod non habet. Insuper si aliquid perfectionis esset in effectu, quæ non præcontinetur in causa, talis perfectio esset effectus sine causa (247).

Perfectio autem effectûs tripliciter præcontineri potest in causa.

1.^a *Formaliter*, et est, cum perfectiones utriusque sunt

in eadem specie. Sic in nube pluvia, in attramento scripturæ color continetur.

2.º *Eminenter*, et est, cum causa pollet perfectione nobilioris ordinis, per quam perfectionem idem præstat et modo excellentiore, quod perfectio inferior effectui comunicata. Sic Deus rationem hominis præcontinet (121).

3.º *Virtualiter*, et est, cum causæ activitas talis est, ut per ejus exercitium perfectionem diversi generis effectui conferre possit. Sic eruditus totum in se continet librum historicum, quem scribere potest; sic artifex machinæ perfectionem continet, eamque suo modo continent instrumenta.

251. V.º *Causa efficiens agere nequit, nisi vel per se, vel per aliud præsens sit ei, in quo agit.* Ratio est, quia nulla res agere potest ibi ubi non est. Ubi enim res non est, ibi res illa nihil est. Atqui nihilo nulla est activitas. Ergo nequit causa agere in subjecto, cui aliquo modo præsens non sit. Hæc autem præsentia fit modis supra insinuatis. Disp 17.—n. 337.

252: Ex his patet veritas adagiorum illorum:

1.º *Omne agens agit sibi simile*; namque ens agens aliquo modo præcontinet id, quod agit.

2.º *Modus operandi sequitur modum essendi*. Hic essendi modus intelligitur non solum esse agentis, sed præcipue operandi immediatum principium.

3.º *Causa causæ est causa causati*; quod debet intelligi de causa, quæ causam alteram non solum producit, sed etiam ad agendum determinat; nam causa, quæ, quamvis causam producit, eam ad agendum non determinat, nullo modo est causa effectuum, qui ab hac altera diminant. Sic v. gr. pater, eo quod est pater, non est causa criminum filii.

253. VI.º *Certissimum est nos causæ efficientis ideam genericam habere, licet non cognoscamus in quo præcisè causalitas sive interna, sive externa sita sit.* Pars prima evidenter apparet. Nam

1° Conscientia hanc ideam reperit in mente clarissimam, eamque ab idea successio-
nis omnino diversam, adeo ut quotiescumque mutationes aliquas sive interno sensu,
sive externo experimur ac deprehendimus, illarum causam
adesse probe cognoscimus, atque ad eam investigandam
frequenter assurgimus. Nemo ignorat quantum differant
hæc duo: *hoc post hoc: hoc propter hoc, vel ab hoc.*

2° Hinc est quod notionem causæ exprimant in omnium
gentium linguis verba, quæ activa dicimus, v. gr. *facio,*
moveo, et alia indefinita.

3° Eamdem notionem continent plura vocabula, ut *cur,*
quia, quare, aliaque hujusmodi.

4° Sublata notione causæ, scientia omnis impossibilis
est; scientia enim circa rerum causas versatur; impossi-
bilis quoque est rationalis certitudo de realitate entium,
quæ extra nos sunt; non enim aliter hæc realitas cognos-
citur, nisi per effectus.

254. Secunda asserti pars non minus clara est. Etenim
quamquam nobis sit probe compertum quid sit causa in
genere, non tamen cognoscimus quid sit in specie rerum
singularum activitas.

Profecto, sensus intimus mihi refert activum influxum,
qui à me ponitur et dimanat, sive cum me ipsum immuto,
sive cum in proprium corpus nixum exerceo. Sed tamen
fatendum est, intelligentiam, dum in facta illa interna
se reflectit et exercitium activitatis proprii subjecti attin-
git, ut sensu offertur intuendum, nec principium, unde
illa actio dimanat, nec quid ipsa actio sit in se, contueri
posse, sed solum genericam et indeterminatam causæ no-
tionem exinde acquirere.

Idipsum dicendum de experientia externa. Cognosco
quidem, corpora et in me, et in se invicem agere; ut quid
sit in se ipsa corporum singulorum activitas intueri non
possum. Patet itaque, non esse nobis notum quid in se sit
causalitas in specie. Patet etiam, non minus temere, quam

ignoranter Davidem Humium (Edimburgo, 1714) permis-
cuisse has quæstiones: 1.^a Utrum sit in mente nostra causæ
conceptus: 2.^a Utrum cognoscamus in quo sita sit causa-
litas sive interna, sive externa: 3.^a Unde originem habeat
causæ notio; et ex eo, quod ignoremus in quo præcisè
consistat causalitas, negavit ipse nos habere ideam causæ,
et solum cognoscere connexionem successivam unius post
alterum (1). Scientia digna obscurò causidico et mercatore
facile principi scepticorum sæculi præcedentis. Nos ad ter-
tiam quæstionem, (in qua non minus aberravit Emmanuel
Kant (Koenisberg, 1724) affirmans, notionem causæ et effec-
tūs esse notiones à priori in mente humana, nullam autem
realitatem objectivam offerre, sicut aberrarunt Biran,
Cousin cæterique, qui eclecticismo sceptico nomen dede-
runt (2)) sequenti asserto respondemus.

255. VII. *Causæ idea generica experientiæ ope ad-
quiritur, estque notio objectiva.*

Intelligite, non ab experientia tantummodo, sed cum
intelligentia conjuncta. Ratio; enim causa relatio quædam
est, quam sola intelligentia concipere potest. Sed invenit
intelligentia ejus ideæ fundamentum et objectum, ut dixi-
mus (253), in intimo sensu. Unde patet falsum esse quod
Humius asseruit, per experientiam nullo modo causalita-
tem nobis offerri cognoscendam. Itaque causæ ideam ex
nobis ipsis primo haurimus. Animam enim nostram novos
modos in se ipsam efficere intima jugique experientiâ edo-
cemur: «vivere se, inquit S. P. Augustinus (3), et memi-
»nisce, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire quis
»dubitet?» Utique quis dubitat se à non cogitando ad co-
gitandum; à non volendo ad volendum; à non sentiendo ad

(1) *Essay.* VII. edit. Edimburgo, 1742.

(2) Cons. M. Bouvier, *Hist. phil. tom. 2.* Istorum errorem jam
propugnaverat Ænesidemus, (100 A. C.)

(3) Cons. S. P. Aug. *De Trinit.* lib. 10. cap. 10. n. 14.

sentiendum; à non motu ad motum, etc., transire? Ergo experientia interna intellectui suppeditat fundatum et objectum ideæ causæ.

256. Experientia autem externa profecto nihil aliud immediate attingit, quam facta factis succendentia, sed intelligentia cum aliquid noviter existere deprehendit, analysim exercens in ideam generalem *facti contingentis*, ad ideam generalem et indeterminatam causæ iterum devinet non intuitione, sed deductione, ut mox videbimus.

Insuper, in ipso sensationis facto ideam causæ et effectū intellectus deprehendit. Nam cum factum sensationis expendimus, animam in se ipsa passivam, atque ab objecti exterioris actione affectam experiri, facile agnoscimus. Jam vero intellectus, si in hæc primitivæ experientiæ facta vim suam intendit, facile advertit, quasdam esse entitates, quæ ex influxu alicujus vis activæ originem habent, atque hoc pacto notionem alicujus quod fit, et alicujus à quo fit, hoc est, effectū et causæ, adipiscitur; quas notiones universales reddit quatenus abstrahit ab ipsis quamcumque determinationem, v. gr. hanc, vel illam entitatem productam, atque hanc, vel illam producendi rationem (1).

Ex iis jam patet secunda asserti pars. Nam mens nostra, ex dictis, ad notionem universalem causæ assurgit ex iis, quæ ope experientiæ comperit. Atqui notio, quam hoc modo mens sibi comparat, realitate objectiva gaudere dicenda est. Ergo notio causæ est objectiva.

Nunc principii causalitatis certitudo facile demonstratur contra Ænesidemum suosque, quos inter Algazel, Elanvilleum, Humium cæterosque scepticos et sensistas.

257. Principium causalitatis sic enuntiatur: *Nihil fit sine causa*, et distinctius: *Quidquid existere incipit effientem causam habet* (videte n. 29-30).

(1) Cons. Caj. Sansev. *Elem.* etc. *Ontolog.* cap. 5. art. 3.

258. VIII.^o *Principium causalitatis est analyticum et absolute certum.*

Principium causalitatis involvit *conceptum existentiæ incipientis*. Atqui in conceptu existentiæ incipientis includitur conceptus hic: *habens causam efficientem*. Ergo principium causalitatis est analyticum et absolute certum.

Prob. min. Quidquid existere incipit, adquirit, seu recipit aliquid, quod prius non habebat; prius enim erat solummodo possibile; possibile autem existentiam physicam non habet. Atqui quidquid accipit quod prius non habebat, ab aliquo alio ente id accipiat necesse est. Etenim id non potest accipere à se ipso, nam illud non habebat, et nemo potest esse causa efficiens sui ipsius (II); non à nihilo; quia nihilum nihil habet et nihil dare potest; atque adeo adquirere aliquid à nihilo idem est ac illud non accipere, merito S. P. Augustinus ait (1): *Nulla res se facit aut gignit, alioquin erat, antequam operaretur.* Ergo quidquid existere incipit, ab aliquo ente accipit existentiam, quam adquirit. Sed ens, à quo alterum existentiam accipit, est causa efficiens. Atqui hoc demonstratur, ut videtis, ex ipsis notionibus existentiæ incipientis. Ergo principium causalitatis est analyticum et absolute certum.

259. *Objicit 1.^o* Ænesidemus. Si qua est causa, evidens est, ipsam esse prius, quam effectum; debet enim existere ante effectum, ut illum producere possit; sed evidens quoque est, causam non posse esse, nisi cum existit effectus, quippe quæ non potest esse causa, nisi jam sit effectus. Ergo notio causæ duo secum pugnantia complectitur, nempe quod existit ante effectum, et quod non existit, nisi cum effectus existit.

Resp. Distin. antec. Causa debet esse prius effectu, *prioritate naturæ, conc.*; prioritate temporis, *subdist. ant.*

(1) Cons. S. P. Aug. De immort. anim. cap. 8. n. 14.; Clem. Alex. Strom. I. 8. c. 9.

quoad primam partem; si sermo sit de causis, quæ actione *successiva* effectum producunt, *conc.*, vel *trans. ant.*, nam etiam si hoc modo spectetur, si subtilius perscrutatur, negari potest; sin de causis, quarum actio est *instantanea*, *nego ant.*; et quoad alteram partem, si causa spectetur, prout est causa, id est, *formuliter*, *conc. ant.*, si prout est in se, et sine relatione ad effectum, seu *materialiter*, *neg. ant.*; et *nego cons.* (241—242 *Nota.*)

Obj. 2.^o Idem Ænesidemus et Kant. Notio causæ est ex iis, quæ ad aliud referuntur, quia causa necessario refertur ad effectum. At relata mente quidem concipiuntur, sed sunt formæ subjectivæ, quæ re ipsa non existunt; ergo etc.

Resp. *Conc. maj.*; *dist. min.*; si sermo sit de iis, quæ *logice* tantummodo sunt relata, *conc. min.* (221); si de iis, quæ realem involvunt relationem, *neg. min.*; et *neg. cons.* Et sane relationes reales, eo ipso quod sunt reales, objectivæ sunt. Atqui relatio inter effectum et causam est realis, ergo etc. Videte utrum conditiones ad realem relationem habeat hæc (222).

Obj. Beguellimus. 1.^o Principium causalitatis valde obscurum est; supponit enim existentiam realem; sed notio existentiæ realis est valde obscura; ergo etc.

Resp. *Nego ant.* *Ad. prob.* *Dist. maj.* Supponit.... ita ut hujus principii veritas ac necessitas ab aliqua existentia reali dependeat, necessaria excepta, *nego ant.*; ita ut existentia realis abstracte et universim in eo consideretur, *conc.* Et *nego min.* Quis enim serio dicat, notionem existentiæ realis obscuram esse?

Obj. 2.^o Si principium causalitatis admittitur tamquam absolute certum, omnes veritates, quæ illo innituntur, essent habendæ ut absolute necessariæ.

Resp. *Nego.* Sunt enim hypotheticè solummodo necessariæ, id est, posito effectu, non potest hic non habere causam.

260. Præstatutis his de causa efficiente, quæ, ut diximus, proprie et stricte nomen causæ sibi vindicat, ad ejus varias divisiones progrediamur, atque ad cæteras species causarum enucleandas; sed quia hæc Disputatio nimis protraheretur, anhelitum captemus, et ad sequentem remittamus.

DISPUTATIO 19.^o—DE CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONIBUS.

—DE OCCASIONALISMO, DEQUE CÆTERIS CAUSARUM SPECIEBUS.

261. Causa generatim considerari potest, vel ratione *temporis*, quod ad effectum producendum insumit; vel ratione *modi*, quo effectum producit; vel denique ratione *conditionis*, seu *speciei* effectū producti.

Jam vero ratione *temporis* potest esse causa *instantanea*, vel *successiva*, quatenus vel effectum producit sine ulla *temporis* morula, totumque simul; vel successive et gradatim.

Ratione *modi*, quo causa in effectum influit, potest dividii in *efficientem*, *finalem* etc.; videte nûm. 243.

Ratione *speciei*, seu *qualitatis* effectū producti, potest esse vel *immanens*, vel *transiens*, nûm. 236-237.

262. De causa efficiente, quam præ manibus habemus, quoniam de reliquis postea, multæ feruntur divisiones; ecce vobis præcipuas.

I.^o Dividitur in *liberam* et *necessariam*:

Libera illa est, quæ, habitis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere.

Necessaria est, quæ positis, omnibus ad agendum requisitis ex actu primo ad secundum necessario transit, et effectum producit, ideoque tantum semper agit, quantum in potentia ejus est.

II.^o Potest esse causa *per se*, et causa *per accidens*.

Causa *per se*, sive *propria*, appellatur, quæ illum pro-

ducit effectum, ad quem naturaliter comparata est.

Causa autem *per accidens*, duobus modis præcipue dici potest, nempe vel ex eo, quod «præter intentionem ille effectus à tali causa sequitur... sicut fodiens sepulcrum ad sepeliendum invenit thesaurum præter intentiōnem (1)», vel ex eo, quod «removet prohibens, sicut qui extinguit candelam, vel exportat ex domo, dicitur causare tenebras (2), » quia actione sua id removet, à quo tenebræ dispelluntur.

III.^o Causa *principalis*, et *instrumentalis*. Illa ea est, à quā effectus primario dependet, ut artifex est causa principalis operis artificiosi; altera ea est, quae à principali movetur, ac regitur, ut instrumenta artis (3).

IV.^o Cum plures causae, ut interdum evenit, ad effectum producendum aliquid conferunt, vocatur *proxima* illa, quae immediate effectum attingit; reliquæ vero *remotæ*.

V.^o *Adæquata*, et est illa, quae sola sufficit ad effectum producendum. *Inadæquata*, quae aliarum indiget auxilio causarum. Quae simul concurrunt ad unum eundemque effectum *concausæ* dicuntur, quarum quidem, cum effectus indivisibilis sit, unaquæque potest dici totum effectum producere.

VI.^o Dividitur etiam causa in *univocam*, *œquivocam*, et *analogam*. *Univoca* illa est, cuius effectus similis est ipsi causæ secundum eamdem rationem *specificam*, ut homo est causa hominis, quem generat. *Œquivoca* dicitur illa, quae cum effectu convenit secundum eamdem rationem *genericam*, ut sol respectu eorum, ad quorum productionem concurrit. *Analogia*, si tantummodo convenit cum effectu secundum

(1) S. Thom. Qq. disp., *de pote.* q. 3. a. 6. ad. 6.

(2) S. Thom; in 1. sent. dist. 46 p. 1. a. 2. ad 3.

(3) Cons. S. Thom. Sum. th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 2.

aliquam analogiam, seu comparationem. Sic Deus, propterea quod in nullo genere rerum contineatur.

VII.^o Potest causa esse *physica* vel *moralis*. *Physica* illa est, quæ effectum parit virtute propria sive principali, sive instrumentalí. *Moralis* est, quæ virtute propria nec producit effectum, nec ad illum producendum ullo modo cooperatur, sed solum aliam causam inducit ad operandum mediante ejusdem cognitione; tales sunt, v. gr. imperans, deprecans, exhortans, imo minæ, poenæ, præmia etc.

VIII.^o Denique dividitur præcipue in causam *primam*, et etiam *creatricem*, et in causam *secundam*. Prima est, quæ ab alia non pendet, et à quâ cæteræ dependent; creatrix vero cum totum *esse rei* producit.

Causa secunda est, quæ dependet á prima in suo esse et operari, quæ quidem nullo pacto potest substantias é nihilo producere, sed solummodo eas immutare varias in eas inducendo formas.

Attamen ex hoc non inferatis cum Nicolao Melebranchio (nat. Parisiis 1638.) aliisque Cartesianis, quos inter, hac nostra ætate, ab-Debreyne (1), et Buchezius (2), causas secundas non esse vere proprieque causas efficientes, sed solummodo occasiones, ad quarum præsentiam Deus, juxta leges á se constitutas, effectus omnes, qui ab ipsis rebus produci videntur, solus operatur, non aliter ac quod in miraculis contingit, quæ ad Sanctorum vocem contactumve fiunt. Imo juxta rigidos occasionalistas neque suas cogitationes ac volitiones ipsa anima producit, sed Deus omnia in omnibus ac solus agit (3). Merito autem hæc sententia, seu error ab omnibus philosophis, qui vera querunt, uno ore

(1) *Théorie biblique de la cosmogonie, et de la géologie*, Paris, 1848.

(2) *Introdu. à l' étude des sciences médicales*, lec. 11.

(3) Inst. Phil. Lugdun. Pneumatologiæ secunda pars. *Dissert.* II. e. 4. art. 2.

veluti falsa in se et impia in suis consecutariis rejicitur.
Sit itaque

263. PROPOSITIO. *Causæ secundæ non sunt meræ occasiones, sed veræ ac proprieæ causæ efficientes.*

Prob. Ac primo quoad spiritus attinet.

1.º Aperte distinguimus ex intimo sensu, quædam fieri in nobis, sed non à nobis, ut cum trahimur inviti; quædam vero fieri in nobis et fieri à nobis, ut cum animum advertimus et applicamus ad meditandum, cum aliquam cogitationem malam, vel mæstificam rejicimus, aut cum in externis corporibus aliquid efficimus. Ipsum in primis volendi actum à nobis elici ita luculenter nobis compertrum est, ut nihil magis ¿Ecquis nobis persuadere valeat, quod cum librum ad legendum, vel calatum ad scribendum assumimus, nos inactivos esse, et solummodo occasione nostræ determinationis solus Deus hoc efficere? Sed dicam, nostra animi determinatio est à nobis, an à Deo? Si à nobis; ergo sumus activi. Si à Deo, quā occasione? et ita in infinitum. Ergo occasionalistarum error non solum repugnat evidentiæ sensū intimi, sed etiam absurdus est.

2.º Si voluntas ipsa spirituum activitate nulla gaudet, humanorum actuum omnis tollitur libertas. Imo si Deus omnia agit, ipsum intrinsecum discrimen inter actiones honestas et dishonestas evanescit; non igitur erit amplius locus merito ac demerito etc. Quæ cum absurda et impia sint, merito occasionalistarum error ab omnibus, qui vera sapiunt, rejicitur.

3.º Ipsa Malebranchii levitas et imprudentia, quibus fidem mutat, propositum nostrum confirmat; ipse enim postquam dogmatice affirmavit: «addo (ipse) me non posse »concipere, Deum posse, quā pollet, corporum movendorum virtutem hominibus aut Angelis communicare; qui »putant facultatem movendi brachii veram esse vim, non

»possunt non admittere, creandi et annihilandi (fætet talis confusio) potestatem, ipsamque omnipotentiam (papæ!) esse spiritibus communicabilem.» Postquam, dico, has protulit venustates, ait,... « anima nostra vult, agit, se. »ipsam aliquatenus determinat; id ego fateor, atque unicuique testatur suus intimus sensus: si liberi non essemus, nec præmia in futura vita essent, nec poenæ, cum absque libertate actiones humanæ omnes adiaphoræ sint: immo religio ipsa purum foret putumque figmentum (1).» Patet igitur vel ab ipso restauratore occasionalismi (2) propositionis veritas quoad spiritus.

Prob. quoad corpora.

264. Corpora esse inactiva nullo modo probari potest, neque à priori, neque à posteriori, sed potius contrarium suadetur. Ergo etc. Primum ita demonstratur.

Non à priori. Etenim inter essentiales corporum proprietates, nulla assignari potest, quæ activitatem omnem ab iis excludat.

Non à posteriori, nempe per experientiam. Etenim per experientiam activitatem quidem corporum cognoscere possumus, at inactivitatem nequaquam; inaktivitas enim corporum sensus nostros nec afficere, nec immutare potest, secus inaktivitas esset activitas. *Sed potius contrarium suadetur.* Etenim

1.^o Si corpora nullo modo operantur, sed solus Deus omnes, quos illis tribuimus, producit effectus ¿cui bono corpora condita sunt? profecto in hac hypothesi corpora forent entia inutilia, quæ à Deo creari repugnat; etenim, ut ait S. Thomas (3) «contra rationem sapientiæ est ut sit

(1) *De inquisitione verit. L. 6. part. 2. cap. 3.*

(2) Dixi, restauratore, quia hic error jam suo tempore profligatus fuit à S. Thoma, Alberto M. et ab aliis; cons. *Sum. Cont. Gent. Lib. 3 c. 69. Ab. M. Phys., lib. 2. tract. 2. c. 3.*

(3) *Sum. Cont. Gent. L. 1.*

»aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatæ
»nullo modo operentur ad effectus producendos, sed solus
»Deus operetur omnia immediate frustra essent adhibitæ
»ab ipso aliæ res ad producendos effectus. Repugnat igitur
»prædicta positio divinæ Sapientiæ.

2.^o Præterea ictur Deus adeo artificiosè organa nostra
elaboravit, si corpora externa nullam in ipsis actionem
exercent?

3.^o Demum, communis humani generis persuasio occa-
sionalismum profligat; adeo enim firma in omnibus est
persuasio de corporum activitate, ac persuasio de corpo-
rum existentia.

Concludamus igitur cum S. Thoma: Deum activitatem
causis secundis communicasse «non propter defectum suæ
virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut digni-
tatem causalitatis communicet (1).

Dissolvuntur difficultates.

265. *Obj.* I.^o Omnia in omnibus operatur Deus; ergo
res creatæ nihil agunt. Etenim potest Deus omnia agere,
ergo agit omnia. Non enim multiplicandæ sunt causæ
sine necessitate.

Resp. Dist. ant. Omnia operatur Deus ut causa pri-
ma, à quâ cæteræ omnes dependent non solum *in suo
esse*, sed etiam *in suo operari, conc.*; ut causa unica,
nego. Deus enim omnis actionis finitæ principium est,
quatenus existentiam et activitatem rebus contulit perpe-
tuoque conservat, et cum iis continenter in agendo con-
currit. Ex eo autem quod Deus omnium actionum hoc
modo principium sit, non excluditur à causis finitis ac-
tivitas ipsis conveniens.

Ad prob. Etiam *dist.*; in alio ordine, *trans.*; in præ-

(1) *Sum. Th.* 1. p. q. 22. art. 3.

senti ordine, *subdist.*; potentia absoluta, *conc.*, potentia ordinata ad alia divina attributa, *nego.. et nego consequiam*. Nam etsi Deus possit omnia agere per se, non tamen sequitur eum per se omnia agere; potuit enim habere rationes etiam nobis inexploratas creandi opera activa, et spiritus non mortuos, sed viventes.

Quare ratio addita nullam vim habet. Verum est enim, non esse multiplicanda entia sine necessitate, si nomine necessitatis non stricta necessitas, sed etiam congruentia, decor, ac majus aliquod bonum intelligatur. Atqui multo congruentius, decentius et opportunius ad creationis finem erat, et spiritus, et corpora activitate donari, quam secus. Hoc enim pacto et sapientia, et bonitas, et potentia creatoris multo luculentius ostenditur.

Obj. II.^o Spiritus nequeunt saltem movere corpora.

Etenim 1.^o facultas hæc in spiritūs notione non inventur. 2.^o Spiritus solummodo possent producere motum per voluntatem. Atqui voluntas creata non potest motum producere. Ergo etc.

Resp. Nego ant.

Ad 1. *Dist.*; in conceptu inadæquato, *trans* vel *conc.*; in conceptu adæquato, quique experientiæ internæ respondeat, *nego*.

Ad 2. *Nego majorem*. Non enim voluntas immediate suo actu corpus movet, sed vel ad nutum voluntatis facultas peculiaris, quam *locomotivam* dicimus, ut patet ex sensu intimo; vel *contactu virtutis*, hoc modo Angeli movent corpora.

Obj. III.^o Corpora certe agere nequeunt. Nam

1.^o Corpora sunt inertia, nec ipsa se movere possunt; ergo nec alia.

2.^o Motus non potest ab uno corpore in aliud transire; ergo etc.

R. Nego ant. Nam corpora habent naturam, id est, primum ac intrinsecum principium motūs; alioquin nullus

esset ordo, nulla harmonia, nulla unitas in Universo, jam *natura est propter suam operationem* (1).

Ad 1. *Dist.* Corpora nequeunt se determinare ad motum, *conc.*; nequeunt per se in motu perseverare, si fuerint determinata, *nego*.

Hoc enim ex ipsa corporum inertia consequitur, ut statum, in quo posita sunt ex se immutare nequeant.

Ad 2. *Dist.* Idem numero motus non exit ab uno corpore, ut in aliud commigret, *conc.*; non potest unum corpus alterum ad motum determinare, *nego*. Obscurum certe est, quomodo motus communicetur. At ideone negandum corpora agere, ac se mutuo ad motum determinare, quia quomodo id fiat assequi non possimus? Quanta tunc neganda forent!

Obj. IV.^o Malebrachius et magnus scripturæ interpres, an corruptor? Psal. 146. v. 8. *qui producit in montibus* (Deus) *fænum, et herbam servituti hominum.* Isaias 26 v. 12.—*Omnia opera nostra operatus est* (Deus) *nobis.*—1.^a Corint. 12. v. 6.—*qui operatur omnia in omnibus.*—Philipp. 2. v. 13.—*Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Quid clarius contra efficientiam causarum secundarum? Ergo etc.

R. 1. Probrosum est Catholico ita abuti Sacrâ Scripturæ!!

R. 2.^o Nego hunc esse sensum Textuum Sacræ Scripturæ, et ideo *nego cons. et conseq.*

Relati Scripturæ Textus intelligendi sunt; vel de Deo agente tanquam causa prima et universali; vel de *Ipsa* agente quidem speciali providentiâ, sed minime excludente actiones causarum secundarum. Nam eadem Scriptura, quæ dicit: *Deum producere in motibus fænum, et herbam*

(1) Cons. S. P. Aug., *De ord.* L. 1. c. 6.;—*De Trinit.* L. 3. c. 4.—Damascenum, *De Fide* L. 2. c. 23.—Nazianenum, *Orat.* 26.

servituti hominum, dicit quoque: Genesis 1. v. 11. *Germinet terra herbam virentem*. Quod autem dicitur: *Deus operari omnia opera nostra*, et: *operari in nobis velle et perficere*, non significat, nos nihil agere, nam sic fato, et necessitate ageremur, nec locus merito, aut demerito foret. Significat ergo, indigere nos Dei auxilio, ut bene agamus, Deumque ipsum esse, qui auxilio suo nobiscum concurrit ad omnia opera, præmovetque ad bonum salutare volendum perficiendumque (1).

Nunc reliquas causarum species breviter, et quantum sufficiat consideremus.

266. Causa finalis est: *Id propter quod aliquid fit*; et finis est: *Id cuius gratia aliquid fit*; sive, bonum quod appetitur. Is vero, cui bonum desideratur, dicitur finis *cui*. Causa finalis influit in effectum movendo causam efficiensem ad agendum amore bonitatis, quæ in fine est. Movet autem non physice, sed mediante agentis cognitione, vel cognitione ejus, qui agentem determinavit ad agendum, ut infra dicemus. Unde sequitur, finem ea solum agentia movere posse ad operandum, quæ ipsum cognitione apprehendunt; ac propterea agentia, quæ cognitione carent, non ex se in finem moveri, sed ab alio, qui finem cognoscat.

Actio, vel opus ad finis assecutionem conducens, *medium* nuncupatur; ac si impedimenta finis removeat, dicitur *remedium*. Manifestum est, finem *amari propter se*, medium vero, qua tale, aut remedium, amari *propter aliud*, nempe propter finem. Nam, ut S. Thomas ait (2): «Causalitas finis in hoc consistit quod propter ipsum alia desiderantur»; et antea S. Pater Aug. dixerat (3): *Pondus meum, amor meus, eo (amore) feror quocumque feror.*

(1) Consul. Illustriss. P. Phil. Scio, *notam huic loco appositam*, Bibl. in hispanicam linguam versa.; S. Tho. sup. eundem loc. Lect. 3.

(2) Sum. Cont. Gent. L. 1. c. 75.

(3) Conf. L. 13. c. 9. n. 2.

267. Omissis aliis, pervulgata est finis divisio in *finem operis*, et *finem operantis*. Finis *operis* est id, ad quod opus naturâ sua ordinatur, ut v. gr. finis ædificandi est domus, et finis canendi est cantus. Finis autem *operantis* est id, quod agens pro lubitu intendit. Hoc pacto finis v. gr. canentis potest esse lucrum, gloria, delectatio propria, honor divinus, vel etiam ipse cantus; potest enim finis *operantis* esse id ipsum, quod est finis *operis*.

Alia divisio est in finem *efficiendum*, et finem *obtinendum*. Primus, est qui non præexistit, sed ex operatione resultat; alter est, bonum, quod ante operationem existit.

268. Est etiam usu celebris divisio finis in *proximum*, et *remotum* vel *ultimum*; quæ divisio ab ea maxime finis proprietate desumitur, quod sit ratio propter quam media amantur et adhibentur. Contingit enim quandoque, media, quæ ad unum finem adhibentur, esse inter se ita *subordinata*, ut primum sit medium ad secundum, secundum item ad tertium, et ita porro, donec in ultimo medio sistatur, quod ad finem primo intentum statim adducit. In hac ergo serie duplex ordo distinguendus est, *intentionis* alter, alter vero *exsecutionis*. In ordine *intentionis*, primum quod intenditur est finis; deinde eligitur medium, quod ad finem immediate adducit; deinde medium alterum ad primum illud assequendum, ect. In ordine vero *exsecutionis*, primum est medium, quod in intentione fuit ultimum, atque ultimo sequitur finis assecutio. Hinc illud apud Scholasticos: *Quod est primum in intentione, est ultimum in assecutione.*

In hac ergo serie, medium illud, quod primo adhibetur, nullo pacto finis rationem habet; nihil enim aliud fuit propter illud electum; sed medium, quod secundum locum occupat, jam rationem finis habet præ primo, quia primum fuit electum propter ipsum, et hoc medium secundum dicitur finis *proximus*; cætera media sunt fines *remoti*, quorum series sistit in ultimo.

Patet, omnes fines, quos in hac mortali vita homo sibi

proponit, esse, vel debere esse, media ad ultimum, qui profecto in hac vita non invenitur.

269. Patet etiam, *omne agens agere propter finem*. Nam omne agens vel agit libere, vel necessario. Si libere, non modo propter finem operatur, sed ex intentione finis, cuius amore movetur ad media eligenda. Si vero necessario, ex naturæ determinatione agit. Sed naturæ determinatio primæ causæ impulsus est, atque directio. Prima autem causa et intelligens est, et sapientissima. Ergo nullus ab ea procedit effectus, qui ad certum finem non dirigatur. Ergo etiam ea, quæ necessario agunt, propter finem agunt, non quidem ab ipsis, sed à prima causa intentum (1), Patet etiam eum, qui finem vult efficaciter, media quoque velle.

270. Causa materialis est: *Id ex quo aliquid fit*; est nempe subjectum, quod efficientis causæ actionem in se recipit. Influit in effectum, tum quia ejusdem effectū est pars essentialis, tum atiam quia formam, quā effectus completur, recipit ac sustentat. Ita marmor est pars essentialis statuæ marmoreæ et figuram ab statuario inductam in se recipit.

271. Causa formalis est: *Id per quod, seu secundum quod aliquid fit*. Est *intrinseca*, vel *extrinseca* effectui. *Intrinsica* est id, quo accedente disponitur materia, ut ad certam entium classem referatur, discernaturque ab aliis entibus ex ejusdem speciei materiâ constantibus; v. gr. forma statuæ est ipsa ejusdem figura, quā ab aliis statuis ejusdem materiæ distinguitur. *Extrinsica*, quæ et *exemplaris*, est *typus*, seu *forma mente præconcepta, in cuius similitudinem fit aliquid opus ex intentione operantis*: sic res artificiales sunt prius in mente artificis, quam in se ipsis; sic in Divina Mente sunt omnia quæ sunt, quæ fiunt et fieri possunt.

Causa porro formalis influit in effectum ut essentialie

(1) Cons. S. Thom. *Cont. Gent. Lib. 3. c. 10.*

ejus constitutivum, quod ad certam entium speciem materiam determinat.

272. *Notate hæc tria:*

1.^o Materiam et formam frequenter dici per *metaphysicam abstractionem*, quâ unum ut duo consideramus, et in his duobus unum ut *imperfectum quid*, alterum ut *perficiens illud*. Ita v. gr. genus dicimus materiam, et differentiam formam.

2.^o Frequenter quoque formæ nomen usurpari *analogice*; quo pacto Theologici materiam ac formam in Sacramentis distinguunt.

3.^o Notate demum quid sit produci *ex nihilo sui*, *quid produci ex nihilo sui et subjecti*. Ex nihilo *sui* producitur id omne, quod fit ex præexistente materia: ex nihilo *sui et subjecti* id, quod ex præexistente materia non fit (279).

Hæc sunt, quæ de categoria quinta et sexta, seu de *actione et passione*, dicere nobis visum fuit; ea in duas distribuimus Disputationes, ut paululum requiescere possitis, si adhuc vos nimis longa via terret, segetum abundantia in culpa fuit. D. q. d. e.

DISPUTATIO 20.^a—DE CATEGORIA *Ubi*.—DE NOTIONIBUS SPATII, LOCI, DISTANTIÆ, ET VACUI.—DE MODO ESSENDI SUBSTANTIARUM IN LOCO.

273. Omnem corpoream substantiam quodam loco contineri, et circumscribi manifestum cuique est. Jam, si hunc modum essendi, quo substantia in loco est, abstracte concipiamus, notionem illius accidentis nobis conficimus, quod, ut secundum Scholasticos loquamur, substantiæ adjacet, et nomine *ubi* designatur. Quamdoquidem autem locus est, à quo sicut à causa fit ipsum *ubi* (1). Notionem *ubi*

(1) Albert. Mag. *Log. de sex principiis*, Tract. 4. cap. 2.

exponere volentibus notio loci in antecessum declaranda est; cui, ut intelligatur, præcedat necesse est notio spatii. Breves erimus, solummodo notiones exponemus; si enim singula ad trutinam revocanda forent, limites propositos transgredi necesse esset (1).

274. Itaque omissis veterum opinionibus, et erroribus, quos sive Cartesius, sive Morus et Newtonius, sive Gassendus, sive Kantius, sive alii post varios abeuntes renovarunt, dicimus, quod si nosmetipsos consulamus, quid nobis obversetur animo, cum de *spatio, loco, distantia, vacuo* cogitamus, hæc facile deprehendimus.

I.^o Spatium nobis repræsentari tamquam *extensionem* in longum, latum et profundum quaquaversus diffusam; absolute *vacuam*, in qua omnia locantur ac moventur corpora, totusque jacet mundus; quæ corporum omnium antecessit existentiam, quæque permanstra foret etiamsi omnia corpora in nihilum abirent; eamdem ultra mundi limites in *immensum* protendi, ita ut infinita possit in se corpora recipere; *immobilem* esse, ac *geometrice continuam, unam, indivisibilem*, quaquaversus *permeabilem, æternam, necessariam, indestructibilem* (2). Spatium ita conceptum dicitur spatium *absolutum* et *spatium purum*; quod perperam nonnulli dixerunt esse quid reale existens; et pejus, qui putarunt esse ipsam Dei immensitatem, confundentes originem possibilitatis corporum locandorum cum ipsa re, quam quærebant.

Igitur hoc spatium ideale nil:il aliud est, quam *possibilitas corporum*; seu *extensio possibilis*, quæ *ex corporum coëxistentium serie sine fine continuata constitui potest*. Duo notare oportet: 1.^o Cum dicimus spatium esse

(1) Consulte præ cæteris *Salv. Tong. Cosmolo.* Lib. 3. cap. 1.; *Caj. Sans. Ont. Cap. 6.*

(2) Parcite terminum necessitatì.

extensionem possibilem, dicimus tantummodo extensionem geometricam; 2.º Distingui debere phantasmata, quæ imaginatio intellectui offert, à conceptu intellectuali. Phantasmata offerunt spatium caracteribus supra descriptis; conceptus vero nihil aliud offert, quam possibilitas corporum locandorum.

275. At si hunc ideale spatium determinare velimus et in actu consideramus, tunc habebimus spatium *reale*, seu *physicum*, quod nihil aliud est: *quam extensio in longum, latum, et profundum, quæ exurgit ex mundanis omnibus corporibus in hac, in qua sunt, continuata serie coëxistentium*. Ipsum non est quid absolutum ab ipsis corporibus independens, sed quid mere relativum, connotans ordinem, quem ad se invicem habent corpora realia, et coëxistentia.

Ex dictis in propositione IV. n. 70., ubi de possibiliitate et cognoscibilitate rerum tractavimus, colligi potest, spatium ideale, seu imaginarium non esse quid absolutum à Deo independens, sed in Deo, fonte omnium intelligibilium, fundamentum habere. Sicut enim omne esse objectivum, et possilitas intrinseca omnium possibilium primam suam radicem habent in Essentia divina; ita etiam spatium ideale, quod, ut dictum est, aliud non est, quam possilitas locandorum corporum, ab Essentia divina pendet tamquam à prima radice. Hoc sensu intellecta Scotistarum, et Lessii opinio, non immerito diceretur, spatium ideale *eminenter* contineri in Immensitate Dei, haud secus ac tempora omnia in Dei Æternitate, et entia omnia in ipsa divina Essentia eminentè et modo supra exposito (70) continentur: *in ipso enim vivimus, movemur, et sumus* (1). Et quemadmodum Æternitas Dei, quæ est omnis successio-
nис expers, et veluti unicum instans semper præsens et subsistens, omnia instantia ac tempora existentia et possi-

(1) Act. App. 17.—28.

bilia in sua infinitate, ac simplicissima Unitate continet, ita pariter Immensitas Dei, licet in se simplicissima, et omnis extensionis expers, omnes extensiones existentes et possibles, atque omnia spatia realia et possibilia in sua infinitata et indivisibili Unitate complectitur. In sensu vero Newtonii, Clarcii et Gassendi, qui ponunt, spatium esse formaliter ipsam divinam Immensitatem, absurdum est; nam divina Immensitas est ipsa divina Essentia simplicissima.

276. Ex his patet quare spatium infinitum, æternum, immutabile etc., concipiamus; quia rerum possibilitas infinita, æterna etc. quoque est (1).

277. Spatium spectatum quoad aliquam sui partem dicitur *locus*. Locus enim secundum Aristotelem definitur: *Immobilis superficies corporis, quæ aliud corpus primo ambit, et circumscribit*, ita ut æqualem cum hujus superficie proportionem partium, sive mensuram habeat. Ejus limites considerari possunt vel ut *extrinseci* loco, et sunt corpora, quæ eum immediate ambiunt; vel ut *intrinseci*, et sunt iidem limites corporis locati, quod imaginatione annihilamus; atque hoc altero modo consideratus locus definiri potest: *Ea spatii pars, quam corpus occupat*. Duplex igitur distinguitur locus, *imaginarius*, scilicet, et *realis*. *Imaginarius* est: *ea spatii pars quam corpus realis occupat*. *Realis* vero est: *ipsa corporis realis triplex dimensio*; sive *cujusvis entis cæteris coëxistendi determinatus modus*. Patet igitur locum reale consistere in quadam relatione, quam ens aliquod determinatum cum cæteris entibus habet.

278. Successiva loci mutatio dicitur *motus*, qui etiam *absolutus* esse potest, vel *relativus*. *Absolutus* est mutatio corporis; sive, ejus existentia in partibus spatii possibilis sine relatione ad alia corpora. *Relativus* est ejus mutatio respectu aliorum corporum.

(1) Cons. S. P. August. *Confs. Lib. 7. cap. 1.; De Civ. Dei, lib. 11 c. 5.*

Perseverantia in eodem loco dicitur *quies*. Si partes cujusdam entis relate ad alias in eodem ente locum mutant, ut fit in aqua ebulliente, hic motus dicitur *intestinus*. Realis dicitur, si ens reapse locum successive mutat; *apparens* vero, si ens, licet immobile, mutare locum nobis appetit, ut evenit, cum in navi sedentes à littore descendimus, non navis, sed littus videtur discedere.


Hinc notio distantiae; *distantia* enim est: *ea spatii pars, quæ inter duo corpora interjacet*.

279. *Vacuum* est: *ea spatii pars, in qua nullum insidet corpus*, ut est infinitum spatiu[m] extramundanum.

Disputatur inter *vacuista*, et *plenistas*, utrum revera sit vacuum reale. Nobis videtur vera sententia plenistarum; etenim ubi revera nullum corpus est, ibi nihil concipitur, nisi mera possilitas corporum, quæ possilitas nihil reale est: apposite S. P. Augustinus ait (1): *Inanitas non est aliquid; sed locus, ubi corpus non est, inanis dicitur*. Ergo vacuum *reale* non datur. Animadvertis, quod non debetis vacuum cum nihilo confundere, nam ad rationem vacui non sufficit in quo nihil est, sed requiritur quod sit spatiu[m] capax corporis, in quo non sit corpus (2).

Attamen, quamvis vacuum re ipsa et in se nihil positivum sit, ideoque non detur, potest nihilominus concipi, ac propterea possibile est quoddam spatiu[m] mensurabile in quo nullum corpus insideat. Possibile esse hoc vacuum nemo negare potest. Nam, omissis aliis *qui* est qui neget, Deum posse creare tres mundos v. gr. perfecte sphæricos tangentes se invicem, qui utpote sphærici nonnisi in puncto se tangent,

ut videre est in hac figura?



Jam quæro in numeris

(1) *De Gen. cont. Manich. Lib. 1. c. 4.*

(2) *Cons. S. Tho. I. P. Q. 46. a. 1. ad. 4.*

1.2. 3. et 4, quid est? nihil profecto, et tamen illa spatia sunt mensurabilia, in ipsis enim corpus locari potest.

280. Jam *ubi* categoricum, de quo sermo est, significat aliquid esse in loco *per modum proprium loci*, atque ideo hoc *ubi* categoricum appellatur *circumscripтивum*; nam illud proprie est in loco, quod à loco circumscribitur, sive eam proportionem ad locum habet, quâ ab ipso exæquatur; ac proinde esse *circumscriptive* in loco idem est ac tota substantia esse in toto loco et nullibi extra ipsum, sed ita ut diversis loci partibus diversæ partes ejusdem respondeant; ut v. gr. aqua est in vase.

Hoc *ubi* nonnisi substantiis corporeis convenire potest; nam nonnisi mediis quantitatibus dimensivis, quæ propriæ corporum (1) sunt, intelligi potest, quomodo substantia à loco circumscribatur (2).

281. At vero ratio existendi in loco potest quoque intelligi, prout dicitur aliquid esse in aliis rebus quocumque modo. Hæc est causa cur *ubi circumscripтивum* ab *ubi definitivo* distinguitur.

Nam *ubi definitivum* substantiis spiritualibus *creatibus* attribuitur, atque significat harum præsentiam ad res corporeas vel per *operationem*, uti fit in Angelis, vel per *informationem*, uti fit in anima. Hujusmodi *ubi* vocatur *definitivum*, quia creaturæ spirituales, cum sint finitæ, ita sunt in uno loco, quod non possint esse simul in alio, et modo tali sunt in loco, ut tota earum substantia sit in singulis loci partibus. Appellatur quoque *simplex*, quia substantiæ incorporeæ non sunt in loco *totalitate quantitatis*, sed *totalitate essentiæ*, ita ut hæc non *commensurentur totalitati loci*. Ex quo efficitur, ut ipsæ non sint in

(1) Cons. S. Tho. 1. p. q. 8. a. 2.

(2) Cons. S. P. Aug. Serm. 50. de diversis eap. 9.

loco, *tamquam in continente*, sed potius locum, in quo sunt, *contineant* (1).

282. Ab iis duobus modis esse in loco differt præsentia Dei, quæ est per contactum virtutis simul in omnibus, quæ sunt; seu *repletivè* per essentiam, præsententiam et potentiam, ut in Theologia naturali explicabimus; interim consulite S. Thomam *Sum. Theo.* 1. *P. q. 8. art. 1.*—*2.* Differt quoque ineffabilis ille, et misericordiæ plenus modus, quo D. N. J. Christus est in venerabili Eucharistiæ Sacramento, qui modus speciali nomine *ubi sacramentali* designatur (2).

Alias quæstiones, quæ tum circa spatii naturam, et circa locum occurrunt, inviti omittimus, non enim digne tractari possunt, quin limites præscritos præterlabamur. His igitur contenti veniamus ad alia.

DISPUTATIO 21.—DE CATEGORIA quando, QUÆ EST OCTAVA.

283. «*Quando*, secundum Alb. Mag. (3), significat esse temporis secundum aliquam temporis differentiam, ut heri quidem fuisse, aut cras futurum esse... et aliquid hujusmodi.»

284. Ut hæc notio magis perspicua fiat, sciendum in primis est, quænam sint variæ species durationis. Itaque dictis n. 273,—275, n. 87.—88.° hæc addite. Duratio definiiri potest: *permanentia rei in suo esse*; sive, *continuata existentia rei*. Hinc tot durationis species distinguendæ sunt, quot sunt modi, quibus aliquid in suo *esse* permanere posse intelligitur. Jam hi modi tres sunt. Namque *esse* aut

(1) Caj. Sansev. *Compen. philo. Christ. Ont.* c. 10. art. 1.—Cons. Salv. Tong. *Cosm. lib. 3. cap. 1. art. 1.*—*2.*

(2) Cons. S. Tho. *Sum. Th.* 3. p. q. 76. a. 5.

(3) *De praedicam. tract.* 6. c. 2.

est *omnino immutabile*, cuiusmodi est *esse Dei*; aut est *immutabile per se*, sed *transmutationem adjunctam* habet cuiusmodi sunt substantiae creatae intelligentiae praeditae, quae dum secundum suum *esse immutabiles* sunt, secundum operationes suas sunt mutabiles; aut est *omnino mutabile*, cuiusmodi sunt res corporeae. Igitur tres sunt durationes. Harum prima, quae est solius Dei, vocatur *aeternitas* (273); altera, quae Angelis, et animabus rationalibus convenit *ævum*; tertia, quae est propria rerum corporearum est *tempus*.

285. Itaque angelicus ait: *esse* rerum corruptibilem, quia est transmutable, mensuratur tempore (1). Jam illud accidens, per quod res corporeae temporis adjacent, et ab eo mensurantur, dicitur, *quando*. Quae cum ita se habeant, tractatio hujus categoriae versari debet circa ea, quae ad notionem *temporis* pertinent. Breyes erimus (2). Itaque

286. «Quid est tempus? Si nemo ex me quererat, scio; si »querenti explicare velim, nescio». Ita præclare S. P. Augustinus (3). Dicamus tamen. Tempus in se nihil aliud esse videtur, quam *ordo successivorum quatenus successivorum*, ac proinde in se aliquid absolutum non est, sed mere relativum. Incredibile est quantum à perpendiculari aberraverint tum veteres philosophi (4), tum qui eorum errores suscitarunt Cousin, Gassendus, Kant, Bovillierius etc. circa notionem, et naturam temporis; relictis horum opinamentis; haec teneto

287. Temporis notio tria elementa continet: *præteritum*, *præsens*, *futurum*, quae ita se mutuo excipiunt, ut omne momentum, vel leve instans ex futuro fiat *præsens*, et ex *præsenti* *præteritum*.

(1) Sum. 1. p. q. 10 à 4. ad 3.

(2) Caj. Sansev. *Elem.* etc. *Ontat.* cap. 7.

(3) *Confs.* lib. 11. cap. 14. n. 2.

(4) Cons. Sext. Emp. *Adver. Mathæm.* lib. 10. *segm.* 215.

Præteritum non est præsens, sed fuit præsens, id est, amissit esse præsens (1).

Futurum pariter non est præsens, nec fuit præsens, sed debet esse præsens.

Quid ergo est præsens? Bone Deus, non concipio, nisi punctum indivisibile, quod à futuro in præteritum ita rap-tim transvolat, ut nulla, vel levissima morula extendatur (2). Non est itaque annus, non est dies, non est hora, non est instans; si est aliquid præsens jam non est tempus (212); si enim aliqua mora temporis cogitetur, hæc præte-rito constat, præsenti ac futuro.

Non tamen ex indivisibilium momentorum additione, sed indivisibilis momenti fluxu non interrupto constare tempus concipimus.

Quemadmodum igitur linea, quæ puncti motu generatur, continua quantitas est, ita et tempus.

Hic vero temporis fluxus easdem nobis notas offert ac spatium absolutum. Revera tempus concipimus, ut essen-tialiter *unum*, in quo, et secundum quod omnia, quæ sunt, durant, ac difluunt; idem cogitamus præcessisse rerum omnium existentiam, ac substitutum etiamsi rerum omnium fieret annihilatio; tum *initii*, tum *finis* incapax; ac proin-de *æternum*, *increatum*, *necessarium* esse; *continuum* denique, *indivisible*, *immovile*, et *immutabile*. Hoc est quod dicimus *tempus absolutum*, ac *purum*.

Cum in his omnibus ideæ spatii ac temporis convenient, discrepant tamen in his duobus; 1.º quod spatii partes sibi coësistunt, temporis vero partes altera alteri sibi succedunt; 2.º præterea, spatium res solummodo corporeas amplectitur

(1) «Si enim nihil præteriret, non esset præteritum tempus, et si nihil adveniret, non esset futurum tempus, et si nihil esset, non esset præsens tempus.» S. P. *Confs.* I. C.

(2) Cons. S. P. Aug. *Confs.* I. 11. c. 15.

et continet, tempus vero res omnes continere videtur, tum corporeas, tum incorporeas.

288. Hujus ideæ genesis hæc videtur esse; mens videt entia contingentia sibi succedere, id est, ista entia postquam potuissent annihilari videt existere, et per varios status transire; hanc solum successionis ideam mens retinet, et ab aliis entium contingentium proprietatibus individualibus abstrahit, sicque enascitur idea temporis. Itaque dico

289. I. *Tempus reale à rerum successione non distingui.* Etenim tempus est duratio successionis, quæ in rebus contingit. Duratio namque rei, ut dictum est, in qua nulla prorsus sit successio, tempus non est; cum nihil in illa prætereat, nihil futurum sit. Igitur tunc solummodo tempus concipitur, cum successionis duratio cogitatur; si enim *præsens semper esset præsens, nec in præteritum transiret, jam non esset tempus, sed æternitas.* Atqui duratio re ipsa non distinguitur ab existentia rei, cuius est duratio; est enim duratio, ut dictum est, *permanentia rei in suo esse, sive continuata entis existentia.* Ergo tempus reale non est aliquid independens à successionum serie, aut ab ea distinctum (1).

290. Quid est autem successio? Ut ex alibi dictis colligitur (274), tum una res alteri succedere dicitur, cum hæc esse desinit, et illa esse incipit. Si enim unius rei existentia permanet, dum res altera esse incipit, hæc res non sibi succedunt, sed coexistunt. Successio igitur est relatio quædam inter esse et non esse, in hoc posita, quod esse unius importet, supponat, includat utcumque non-esse alterius. Propterea describi potest successio: *Relatio exclusionis mutuae, quam habet existentia unius respectu existentiæ alterius* (2).

(1) S. P. Aug. *Confs. lib. 11. cap. 14. n. 2.*

(2) Cons. præcl. Jacob. Balm. *Filosof. fundam. lib. 7.*

291. Hinc infertur; 1.^o tempus extra mentem nihil aliud esse, nisi ipsam entia quatenus sibi succedunt, et reciprocè utcumque excludunt, aut excludere, et succedere possunt.

2.^o Ante mundum conditum, sive ante res contingentes, nullum fuisse tempus reale. Turpissime igitur errant, qui tempus reale somniantur æternum, quæ positio implicat.

3.^o Igitur mundus conditus fuit cum tempore, non in tempore, quia non erat tempus.

4.^o Ex dictis etiam colligitur, quid sit *præsens*, *præteritum* et *futurum*.

Præsens est ipsa rei existentia, et nihil amplius; est conceptus absolutus non relativus.

Præteritum et *futurum* sunt ideæ relativæ ad aliquod *præsens*, nempe ad aliquod esse. Continentur enim ideâ *non esse unius* relate *ad esse alterius*, à quo primum illud esse excluditur. Differunt autem in hoc, quod cum *præteritum* concipimus, primo concipimus *esse* rei, ac secundo ejus exclusionem per aliud esse; cum autem *futurum*, primo concipimus *esse* rei exclusum per aliud esse, ac secundo esse ejusdem rei non exclusum, sed excludens aliud esse.

5.^o Patet autem has relationes, si sola spectetur successio, esse relationes extrinsecas et rationis.

6.^o Intelligitur demum quid sit *coëxistentia*. Tunc duo coësistere concipimus, cum de utriusque existentia cogitamus, quin de alterutrius non existentia cogitemus. Coëxistentia nimurum est simpliciter *existentia rerum*, quæ se non excludunt. Dico

292. II. *Tempus absolutum nihil aliud esse, quam possibilitatem successionis*. Quemadmodum enim alia plurima, ita quoque ipsam successionis ac durationis successivæ rationem licet à rebus abstrahere. Si igitur abstractione hac facta, cogitemus de duratione successionis, seu de ordine inter esse et non esse terminorum determinatorum et quoad

naturam, et quoad multitudinem, conceptus iste omnes possibiles terminos jam amplectens est tempus absolutum. Hoc etiam ex eo plane liquet, quod temporis absoluti characteres (287) successioni quidem reali convenire non possunt, ast optime convenientur successioni possibili, prorsus ut de spatio supra ductum est. Merito quidem tempus absolutum *ideale* appellatur.

Non possum non vobis commendare enixe, ut legatis librum undecimum *Confessionum*. S. P. Augustini, præsertim à capite 9. usq. ad 29.

Dicamus nunc breviter de mensura temporis, de qua S. Pater, *lib. cit. cap. 15—16.*

293. Mensura temporis debet esse aliqua successio, seu mutatio perpetua et uniformis, Omnis enim quantitas mensuratur assumptâ unitatis aliquâ quantitate determinatâ, eamque quantitati dimetiendæ iterum atque iterum applicando; quantitas vero illa, quæ in mensuræ unitatem assumitur dimetiendæ quantitati intra quantitatis genus homogenea esse debet. Sic linea lineis, superficies superficiebus, solida solidis mensurantur. Cum igitur tempus sit mutationum series, non aliter mensurari poterit, quam determinata aliqua mutatione in unitatem mensuræ assumpta. Ut autem mutatio hæc iterato adhiberi possit ad mensuram, renovetur necesse est et perpetuo, et uniformiter. *Mensura igitur temporis est mutatio aliqua perpetua et uniformis.*

294. Hoc pacto *motus relativus* est mensura temporis. Motus enim cum sit continua loci mutatio, nihil aliud est, quam successio positionum corporis unius respectu corporum coëxistentium; sed hic motus, ut mensura esse possit, necesse est, ut sit constans et uniformis, id est, ut nec acceleretur, nec retardetur.

Ita *naturalem* temporis mensuram humano generi supeditant cœlestium corporum motus. Hi enim motus non solum sunt constantes, et ad sensum uniformes, sed etiam

aspectabiles omnibus, ac proinde mensuram præbent omnibus communem.

Mensuram *artificialem* suppeditant instrumenta, quæ vel cælestes motus imitantur, ut horologia, quæ indicis motu diurnum motum repræsentant; vel quæ mutationem aliquam uniformiter iterabilem perficiunt, ut casum pulveris, vel aquæ.

295. Si quis omnibus hujusmodi mensuris careat, non aliam habere poterit temporis mensuram, quam internas suas affectiones, non quidem omnes, sed eas, quarum conscientiam habet, ac memoriam saltem confusé servat. Unde sequitur, quod, quo plures sunt affectiones hujusmodi, eo longius appareat datum temporis intervallum; quia plures partes in eo notantur. Atque hinc fit, ut idem temporis intervallum à quibusdam longius existimetur, quam re ipsa fuerit, v. gr. à juvenibus, à miseris etc.; à quibusdam brevius, v. gr. à senibus, à felicem vitam de gentibus, à distractis etc. (1).

Dicamus breviter de reliquis duabus Categoriis, sed quia hæc Disputatio longius evadit, ad sequentem remittimus.

DISPUTATIO 21.^a.—DE POSTREMIS DUABUS CATEGORIIS, NEMPE DE *situ* ET *habitu*.

296. Quoniam res corporeæ propter suam quantitatatem locum occupant, hujusmodi partes quemdam ordinem habent necesse est. V. gr. corpus hominis in loco est sedendo, vel stando, vel cubando. Jam illud accidens, quod ex ordine partium ad locum existit, appellatur *situs*.

Situs itaque est: *Dispositio partium ad locum*; diximus *partium ad locum*, quia dispositio partium ad totum, quod

(1) Salv. Tong. *Cosmol.* lib. 3. cap. 2. art. 3.

ex ipsis resultat, v. gr. *ordo*, quém caput, pedes etc. animalis habent ad totum animal, dicitur proprie *ordo partium rei*, seu *positio partium*.

Situs difert ab *ubi*. Ubi enim dicit relationem ad locum; situs vero dicit prout hoc, vel illo modo res est in loco. Situs dividitur in *naturalem*, et *innaturalem*; naturalis est cum partes rei sunt in propria dispositione, quam natura expostulat, ut cum arbor habet radices deorsum, ramos sursum etc.: innaturalis, cum ē contrario radices sunt sursum, rami deorsum. Uterque subdividitur in varias species.

297. Notionem sitūs è rebus materialibus ad spirituales transferre solemus, atque his quoque situm metaphorice accommodamus; *ordo* potius ipsis convenit. Hinc etiam Deus dicitur *sedens*, propter suam immobilitatem, et auctoritatem; et *stans*, propter suam fortitudinem ad debellandum omne, quod adversatur (1).

298. *Habitus* definitur: *Accidens resultans in rebus ex circumpositione vestium, vel armorum; quae circumponuntur debent esse substantiæ, quarum una circa aliam versatur; quapropter ex nullo accidente, quod substantiam afficit, v. gr. ex scientia et sciente categoria habitus constitui potest.*

Essentia habitūs non consistit in alterutra, aut utraque substantia, sed in adjacentia unius substantiæ respectu alterius (2).

Exinde enim perspicitur, habitum, etsi inter duas substantias sit, tamen esse accidens categoricum, quia positio unius substantiæ circa alteram, in qua natura habitūs consistit, est accidens. Sed notate, quod habitum neque *indumentum*, neque *habens indumentum* est, sed aliquid medium inter utrumque, quod resultat ex coaptatione indu-

(1) S. Tho. *Sum. th. 1. P. Q. 3. a. 1. ad 4.*

(2) S. Bonav. *In 3. sent. Dist. 6. a. 1. q. 3. resol.*

menti ad induens (1), ideoque indumentum est veluti materia (2).

Species habitūs sunt arma et vestes. Arma dividuntur in offensiva, et defensiva, utraque in varias species. Vestimentum dividitur in naturale, ut est pecudum, et artificiale, ut est hominum; et utrumque in varias species. Non est cur moneamus, habitum, de quo hic egimus, toto genere differre ab eo, de quo supra (228—2.)

Hæc de plebejis istis prædicamentis sufficient; nam ea fusius prosequi rei momentum non exigit, satis est juxta vulgarem explicandi modum ea delineasse (3).

Hic rem confecimus.

Utinam, charissimi Fratres, tanto proficiendi animi desiderio Ontologiæ incumbatis, quanto mei alacritate pro vestra utilitate ordinavi et exposui. Unum peto à vobis, ut dum his materiis vacatis libri inutiles et exiles longissime à vestris manibus et oculis discedant; tunc dicere poterimus: *servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* (Luc. 17—11). Interim ad Cosmologiam transimus.

(1) i S. Thom 2.^a 2.^a Q. 49. a. 1. h̄p. supradicti toti omni

(2) Cons. S. P. Aug. [QQ. Octoginta tres, q. 73.; Suarez. *Metaph.*

Disp. Dist. 53, sect. 1.

(3) Goudim.

SECUNDA METAPHYSICÆ PARS.

METAPHYSICA SPECIALIS.

1. Deus, homo, mundus! ecce tria, quæ nobis supersunt hoc annuo studiorum spatio perscrutanda. Sed vero cum causæ notitiam haberi non possit, nisi antea præcesserit effectūs cognitio, nec cognitio reflexa exerceri, quin cognitio directa præcedat, sequitur quod homo antequam ad Deum cognoscendum se ratiocinatione elevet, se et mundum cognoscat necesse sit, utpote effecti à Deo, rerum omnium creatarum prima causa; et antequam seipsum cognitione reflexa compleetur homo, cognoscat oportet cognitione directa corpora externa; unde sequitur, ordinem et progressum cognitionum nostrarum exigere, ut à mundi contemplatione incipiamus. Jam vero illa Metaphysicæ specialis pars, quæ de mundo generatim inspecto agit, vocatur *Cosmologia*, quæ, ut Metaphysicæ pars est, non singula de mundo minutatim scrutatur, sed collectim de universis communes notiones exhibit, missis cæteris ad varias partes scientiæ Physicæ et Matheseos.

2. Ita ergo nos, præsupposita existentia mundi corpori, quæ tum ex testimonio ineluctabili sensuum extenorū, tum ex invincibili generis humani persuasione satis superque probata remanet (L. Lect. 41. 42. et 43.), duabus sectionibus hunc tractatum absolvemus, in quarum 1.^o sermo erit de corporum elementis, sive substantia et proprietatibus, de mundi unitate, de entium serie et nexu, de mundi origine, perfectione et fine; in 2.^o vero agemus de effectibus in mundo sive naturalibus, sive supernaturalibus, i. e., de legibus et ordine naturæ, et de miraculis; varios in articulos distributa.

3. Amplissima disputatio hæc est, de qua non esset disserendi finis, si omnia in medium afferendi foret animus; sed cum non desint catholici Philosophi, qui in hac controversia cum pantheistis et incredulorum turba stilum accurate diligenterque exercuerint, id tantum præstare conabor, ut breviter, nec jejuni in hac materia relinquamini, quod alii diffusis tradidere lucubrationibus, perspicua methodo, contracta oratione, selecta rerum copia comprehendam.

4. Antequam vero Disputationes aggrediamur, definiamus oportet quid nomine mundi intelligamus, sicut etiam definire convenit scientiam, quam præ manibus habemus, ut nec à principio divagare videamur.

5. Jam vero, quem Græci *Kosmon* nomine *ornamenti* appellavere, eum et nos perfectâ absolutâque elegantiâ *mundum* dicimus (1); itaque mundi nomine designatur: *Universitas rerum creatarum, quæ cælo, terraque continentur*. Quoniam vero res creatæ aliæ sunt spiritus, aliæ corpora, mundus *intellectualis* à mundo *corporeo* distingui debet; mundus corporeus, de quo agit Cosmologia, describi potest cum S. Isidoro (2): *Hæc, quæ nos circumstat, corporum adspectabilium universitas, ex cælo, terra, mari, cunctisque sideribus constans* (3).

6. Ex iis jam patet Cosmologiae definitio: *Scientia*, videlicet, *quæ suprema principia, supremasque rationes mundi sensibilis exponit*. Si hæc scientia sumatur omni, qua late patet, amplitudine, scientia hominis etiam in suo continetur ambitu. Nihilominus scientia de homine à Cosmologia segregari solet, atque speciali nomine *Anthropologiæ*, quæ in varios ramusculos, ut ita dicam, dividitur, appellatur. Sit jam

(1) Plinius, Hist. nat. l. 2. c. 4.

(2) Lib. 3. Etymolog. c. 29. et Lib. 13. c. 1.

(3) Cons. Tull. De nat. Deor. cc. 39. et 40. libri 2.

SECTIO PRIMA.

DE MUNDO CORPOREO IN SE INSPECTO, DE EJUS ORIGINE, AC UNITATE, PERFECTIONE, ET FINE.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CORPORUM ELEMENTIS ET PROPRIETATIBUS.

DISPUTATIO 1.^a EXPOSITIO, ATQUE CRISIS SYSTEMATUM CIRCA CORPORUM CONSTITUTIVA ELEMENTA.

1. Quæstio de elementis constituentibus corporum essentiam adeo arcana et humanæ menti impervia est, ut qui rite eam perpenderit, imbecillitatem humanam confiteatur necesse sit; neque tam arroganter rationem ducem in religionis mysteriis sequendam, revelatione contémpta, asseverabunt hodierni epicurei, quam in naturæ arcanis cæcutire, et cimmeriis in tenebris versari passim animadvertiscant. Neque ii ipsi, qui uni opinioni toto animo favent, cum aliis, qui eamdem opinionem profitentur, in ea expounderet pro sequenda convenienter. Nos itaque, quin nodum solvere præsumamus, summam trium præcipuorum systematum attingemus, et quod nobis verius videatur declarabimus. Unum monemus et est, quod in hac quæstionē sedulo cavendum est tum à methodo *idealistica*, quæ omnia à priori determinare pertentat, tum à methodo *empirica pura*, quæ omnia ab experientia repetit; sed utraque utendum est, id est, methodo *inductiva-deductiva*.

2. *Elementa* corporum vocantur illa principia intrinseca, quæ cujusque corporis substantiam efficiunt. Ea, ut ait

Aristoteles (1), oportet nec ex se invicem esse, nec ex aliis; et ex ipsis esse omnia.

SYSTEMA atomicum EXPONITUR AC REJICITUR.

3. Jam vero illa elementa inter antiquos, post Leucippum et Democritum, Epicurus ajebat esse corpuscula parva, *atoma* inseparabilia, quæ, quamvis partes habeant, in illas tamen dividi nequeunt, eaque ita exigua esse, ut omnem oculorum aciem effugiant, figurâque, magnitudine, gravitate, aliisque qualitatibus, quæ quantitatem consequuntur, esse prædicta, infecta insuper, et in perpetuo motu agitata corpora omnia gignere ac efformare, eo quod *atomī*, quæ per inane vagantur, similes cum similibus cohæreant, atque ita secum commisceantur, ut corporum varias species constituant; corrumpuntur vero corpora, cum *atomī*, ex quarum conjunctione effecta sunt, dissociantur; alterantur denique, si dispositio atomorum in ipsis quodammodo turbetur. Ideoque cum aliquid corpus gignitur, aut corrumpitur, nulla substantialis forma producitur, aut corrumpitur, sed sola incipit; aut desinit nova positura, et ordo atomorum, seu molecularum, quæ jam existebant.

4. Epicuri doctrinam omnino emortuam inter recentes Gassendus exuscitavit, qui, si hæc corpuscula non improducta et casu agitata, sed à Deo condita et divinâ sapientiâ multifariam ordinata et disposita posuit, aliunde eis tribuit omnes geometricas figuræ. Magna ex parte hanc theoriam sequutus est Renatus Cartesius et alii.

5. Hoc systema vocatur *Atomismus*, et etiam *systema mechanicum*, ex eo quod recentes ejus factores post Gassendum non alium motum, nisi mechanicum atomis concedunt.

6. Jam vero admitti nequit *atomismus*. Ac primo quoad

(1) Nat. Ausc. l. 1. c. 3.

antiquos attinet, nulli dubium esse potest; nam atomos improductas esse supponit, et casu in perpetuo motu in spatio agitari, quod quidem absurdum est. 2.° Nec in Gassendi, Cartesii et aliorum sensu admitti potest. 1.° Quia gratuito supponit, atomos omni geometricâ figurâ donari, atque etiam, ipsis patentibus, quadam *magnitudine* (1), quæ figuræ, et quæ magnitudo concipi nequit, sine distinctione partium, et earum ordine et dispositione, quæ dispositio, qui ordo, et distinctio necessario supponunt, contra ipsos hujus systematis fautores, atomos secabiles esse et divisibles. 2.° Quia congeries atomorum possent efficere unum corpus *per accidens*, nunquam vero *per se*. 3.° In atomorum systemate concipi nequit, quomodo ex atomis diversæ naturæ rerum existant, et quomodo generatione perpetuentur; nam in hoc systemate homo, brutum, lapis, arbor etc. non different, nisi ex varia positura atomorum quis vero, qui admirabiles operationes rerum et earum differentias perspectas habeat, dicet, eas non differre essentia-liter, sed tantummodo accidentaliter, ex diversa, videlicet, conglobatione atomorum? Mitto alia præsertim adversus realem et infinitam extensionem Cartesii.

SYSTEMA *dynamicum* EXPONITUR AC REJICITUR.

7. Non minus inadmissibile est alterum systema, quod vocant *dynamicum*, quod præformatum à Philosophia Pythagorica Leibnitius ex industria exposuit, quodque deinde à gravissimis inconvenientibus Boschovichius liberare pertentavit.

Juxta hoc systema corpora componuntur ex substantiis simplicibus, quas ad Pythagoræ exemplum Leibnitius

(1) Essentialis *atomi* character, ut ita dicam, seu signum, consistit in eo, quod sit *indivisibilis*, non vero in eo, quod sit *minutissima*, ut aliqui falso opinati sunt.

monadas vocat. Hic statuit, monadas istas nec extensas esse, nec figuratas, nec spatium occupare nisi punctum; omnes esse inter se dissimiles, et in qualibet corporum particula numero infinitas, atque ita se contingere, ut nullum inter ipsas vacuum intersit; ad hæc, singulas obscura quadam perceptione præditas esse, quâ universum sibi repræsentant; conscientiâ quidem carere, non tamen appetitu; mutationes omnes monadum ab *intrinseco* tantum procedere; proinde nullam esse alterius ad alteram physicam actionem. Tamen sunt à Deo inter se conjunctæ, atque ita conjunctæ, ut internæ cujuslibet monadis mutationes cum omnium aliarum mutationibus *harmonice* conspirent; atque hoc pacto fit, ut ex hac præstabilita harmonia, aliæ ab aliis determinari videantur. Ex hac monadum conjunctione oriuntur corpora, quæ proinde sunt aggregatio substantiarum, eorumque extensio pure phænomenica est (1).

8. Multa ex iis incredibilia visa sunt vel ipsis Leibnizii sectatoribus, qui proinde hoc ejusdem systema ab erroribus corrigere aggressi sunt, inter quos princeps est Rogerius Boschovichius S. J. Is docuit: 1.° monades in qualibet corpore esse quidem innumeræ, sed non infinitas, neque perceptione, atque appetitu gaudere: 2.° ipsas corpora efficere ex vi, quâ præditæ sunt, *attractiva* et *repultrice*; nam hæc vis, quatenus est *attractiva*, efficit, ut monades secum copulentur, et quatenus *repultrix*, impedit, ne sese compenetrent: 3.° phænomenon extensionis corporum oriri ex monadum multitudine per mutuas vires cohærentium, et certo quodam intervallo distantium (2). Hanc Theoriam paucis variantibus sequuti sunt Dugald-

(1) Cons. Joseph. Prisc. phil. Spec. Cosm. c. 1.—Tong. Cosm. 1. 1. c. 1. art. 2.

(2) Bosch. Phil. nat. Theoria reducta ad unicam etc. Venetiis 1763. Variis disert.

Stewart, Cousin, Gallupius cum omnibus fautoribus simplicitatis monadum; attamen mihi videtur esse falsam.

9. Ac primo, hæc Theoria, prout Leibnitius eam exponit, non solum falsa est, sed absurdis scatet. Nec in logum abeamus singula percurrente, sit 1.º *Leibnitius*, cum monades, ex quibus corpora componuntur, perceptione, ac appetitione pollere dixit, omnia, quæ in mundo sunt, vivere cohaerenter docuit, proindeque ea, quæ vivunt, non specie, sed gradibus differre sumpsit: 2.º *numerum actu infinitum* admissit, quia unumquodque corpus ex infinitis monadibus conflari statuit: 3.º *actiones* transeuntes nec esse, nec dari posse putavit, unde omnes mutationes, quæ in monadibus fiunt, ex vi ipsis insita fieri contendit. Atqui hæc tria pronuntiata, quæ fundamenta sunt Theoræ Leibnitianæ, sunt prorsus absurdæ. Ergo rejicienda est talis Theoria.

10. Nec admitti potest hoc sistema *dinamicum* etiam cum correctionibus inductis à Boschovichio. Nam

1.º Hæc sententia idealismo directe favet, et sensui naturæ communi prorsus reluctatur, qui sensus non destruendus, sed explicandus est; favet idealismo eo, quod ejus patroni *adacti* fuerint ponere *extensionem phænomenicam et apparentem*, non aliter ac Kant posuit de spatio, quod esset forma sensibilitatis externæ emanans ex ipsa animi constitutione, et in hoc reluctat sensui naturæ communi; genus enim humanum semper credidit, extensionem esse aliquid reale, et realiter mensurabile. Duxi *adacti fuerint*; nâm ipsi optimè cognoscebant:

2.º Evidens esse, illas monadas, seu puncta inextensa numquam extensionem constituere posse; etenim hæc indivisibles, et simplices monades aut sese immediate contingunt ad extensionem constituendam, sine ullo prorsus vacuo interjecto, vel non. Jam vero

Si se immediate contingunt, ut posuit Leibnitius, hæc puncta omnia, seu monades, etiamsi numero infinitæ fo-

rent, in unicum punctum coalescerent. Indivisibilia enim non possunt se tangere, quin secundum se tota penetrant et idem spatium occupent; in ipsis enim nulla sunt extrema, nullum medium, nulla dimensio aut commensuratio, atque ideo impossibile est, ut ex ipsis resultet ulla quantitas continua, ulla extensio realis; itaque totus mundus unico contineretur puncto, sicut omnes Angeli v. gr. possunt esse in acūs apice.

Si vero se non contingunt, sed distantiam inter se servant hæc inextensa monades, ut censuit Boschovichius, majora sequuntur absurdia. Nam illæ atractiones et repulsiones, quarum vi tribuit Boschovichius distantiam et ordinem inter inextensa, unde apparet extensio resultat, vel sunt veræ ac physicæ earumdem monadum actiones, vel non.

Si non sunt, cujus sunt? fati, casūs, an Dei? si Hujus, habemus purum, putumque occasionalismum, à quo adeo abhorrent Leibnitziani; fatum, casus nihil significant. Ergo.

Si sunt actiones monadum, ecce duo portenta: 1. actiones physicæ in distans, nam inter unam et alteram monadam vacua interjacet distantia, sine ullo medio, aut vehiculo per quod actio unius ad alteram pertingat, id est, habemus agens nihil, quia agens ubi non est nihil est: 2. habebimus vires contrarias et oppositas, attractivam vide-licet et repulsivam in ente, molecula, seu monade indi-visibili, quod plane impossibile est.

11. Ratio, qua semper utuntur hujus systematis fautores, hæc est: ultima compositi elementa composita esse nequeunt; ergo sunt *simplicia*; ergo *inextensa*. Quæ facile refellitur secundâ consequentiâ negatâ. Nam ex eo quod sint simplicia, non sequitur esse inextensa, quia possunt esse simplicia secundum *aliquid genus* (0.270.) Perperam igitur rationantur adversarii, inter quos P. Joseph. Cuevas, cum saltu quodam transiliunt ab uno ad alium sensum illarum vocum *simplicis* et *entis*. Nam vocabulo *entis* po-

test intelligi quæcumque realitas, et potest intelligi substantia veri nominis; item per vocem *simplicis* potest intelligi *non compositum*, et potest intelligi *non extensum*. Jam vero principia corporum debent esse realitates quædam et quidem ex aliis non compositæ. At adversarii fallaciter substituunt alium sensum, nimirum quod realitates illæ debent esse substantiæ *extensione* carentes. Id vero gratis faciunt; subaudiunt enim omnem substantiam esse simplicem, et confundunt compositionem molis suæ quantitatis cum compositione naturæ. Uno verbo ex eo quod elementa corporum non constent partibus integrantibus, inferunt esse inextensa. Omissis aliis observationibus, dico, quod, ut mihi videtur, hoc systema elementorum simplicium, seu *dynamicum* rejiciendum est.

12. Huic assimile est sistema transcendentalium philosophorum, qui, duce Kantio, ponunt corpora constare viribus *attractivis* et *repulsivis*, et corpora proinde nihil aliud esse, quam loca his viribus repleta, igitur non realia et extensa corpora percipimus, sed solum apparentia, quæ, si forsitan in nostris conceptibus realia, extensa et opposita apparent, in rebus ipsis unum idemque sunt.

13. Quod vere *apparet* ex hac ultima transcendentalum affirmatione est horrendum pantheismi monstrum; nihil mirum, si quidem major Kantii sectatorum pars pantheistæ sunt. Hoc delirium ita dissipatur. Nam

1.° Vires attractivæ ac repulsivæ supponunt subjectum in quo sint, et à quo exserantur: supponunt videlicet corpuscula jam constituta.

2.° Eadem supponunt objectum, quod attrahant repellantve, quod autem attrahitur ac repellitur est corpus, ergo vires istæ corpus supponunt.

3.° Quid sunt hæ vires? suntue puncta, an atomi? suntue unum, an plura? suntue divisibiles, an indivisibles? quomodo quantitatem continuam et mensurabilem constituent? Respondeant Kantiani.

SYSTEMA chimici atomismi.

14. Fautores *systematis chimici* docent: corporum duo esse genera *mixta*, nimirum, et *simplicia*. Simplicia sunt, quæ arte chimica resoluta inveniuntur esse elementorum ejusdem speciei conflata, v. gr. *metalla*, *hydrogenium*, quorum componentia omnia sunt *homogenea*, id est, ejusdem speciei; vocantur à metaphysicis simplicia *secundum aliquod genus*. Mixta vero nominantur, quæ ex simplicibus diversi generis coalescunt, et ideo cum resolvuntur in elementa, quibus constant, inveniuntur hæc elementa esse diversæ speciei, v. gr. *aqua*, *aer*. At vero et corpora simplicia, et mixta in partes, seu moleculas dividuntur, ita tamen ut in corpore simplici non aliæ moleculæ inveniantur, nisi quæ sunt *homogeneæ*, nempe ejusdem naturæ, et dicuntur *integrantes*, quia corpus ab ipsis integrum efficitur; in corpore autem mixto non solum moleculæ integrantes inveniuntur, sed etiam *constituentes*, quæ sunt *heterogeneæ*, et ita dicuntur, quia ex ipsis natura corporis mixti constituitur; v. gr. in *aqua* inveniuntur moleculæ integrantes, ex quibus nempe massa visibilis aquæ constat, et moleculæ constituentes, quæ sunt *hydrogenium*, et *oxygenium*, ex quorum copullatione natura aquæ efficitur. In *hydrogenio* autem non alias moleculas invenire possumus, quam partes ipsius *hydrogenii*. Tum moleculæ integrantes, tum constituentes *ex quadam vi sibi insita conjunguntur*, quæ *attractio molecularis* appellatur; hæc vis bifariam distribuitur; illa vis, qua moleculæ integrantes, seu *homogeneæ* uniuntur et copullantur, vocatur *cohaesio*, seu *affinitas molecularis*; illa vero, qua moleculæ constituentes, seu *heterogeneæ* conjunguntur ad invicem et copullantur, vocatur *affinitas chimica*. Jam ultimæ particulæ, ad quas in divisione molecularum integrantium pervenitur, quæque humana arte inseparabiles sunt, moleculas, seu *atomos pri-*

mitivas dicere licebit, corporumque *elementa* sunt. Et sicut viribus attractivis molecularibus conjunguntur et copulantur, ita *calorico* dissociari possunt. Hinc sunt inter moleculas diversi cohaesionis gradus, prout una, vel altera vis prævalet, scilicet cohaesio, aut calorificum. Ex diversis istis cohaesionis gradibus dependet distinctio corporum in *solida*, *liquida*, et *aëriformia* (1). Ita ipsi.

15. Hoc systema *atomismi chimici*, cuius summam exponuimus, invenietis dilucide expositum et propugnatum apud P. Salv. Tongiorgi (2), et P. Ramierium (3) S. J. Sed, si veritas est dicenda, quid sibi velint non attingimus, nisi quod tractactum *Chimiæ* optime nobis offerunt, de quo hujus systematis fautoribus gratias agimus; sciant tamen, hoc jam chimiæ tyronibus perspectum erat, et ex ea parte, qua experientiam respicit, totum ipsis conceditur, at non propterea prima corporum principia revera explicat. Hæc enim non experientia comparantur, sed ratiocinatione. Immo impossibile est, ut experientiâ comparentur, nec debent. Nam experientia analysi sua non aliud nobis exhibere potest, quam corpora, ea nimirum, quorum elementa quærimus. Nisi igitur ratiocinium demonstrét, ea corpora non esse ulterius composita quoad naturam, sed una tantum realitate constare, jactata experientiâ nihil concludet. Id vero sistema, de quo agimus, minime facit. Nam, cæteris omissis, cum mixta in simplicia resolvuntur, et simplicia in moleculas integrantes; unde scimus moleculas istas non esse compositas? an quia sic dicitur? At in primis ex eo, quod nos instrumentis nostris aliquid dividere nequeamus, minime sequitur illud in se non esse divis-

(1) Consul. Salv. Tongiorgi hujus systematis patronum, quamvis in sui operis compendio jamjam aliter res videt.

(2) Inst. philo. vol 2. Met. spec. Cosm. Lib. 1. e. 1. art. 5. et e. 2. a. 5.

(3) Inst. philos. Cosm. c. 2 art. 5.



bile. Deinde etiamsi moleculæ illæ, quæ extensione frumentur, nullam suæ molis ulteriore divisionem admitterent, nihil inde inferri posset; hic enim non agimus de compositione quantitatis, sed de compositione naturæ ipsorum corporum. Quantitas minime confundi debet cum materia; quantitas et qualitas naturaliter insunt materiæ, non autem sunt ipsa materia.

Insuper, simplicia, ad quæ analysis chimica pervenit non per propriam formam in corpore existunt, sed per aliud principium *formale* in novam, ac unicam substantiam transmutantur. *Commixtum ex duobus*, ait Aquinas (1), *neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum*. Si igitur ita res est, liquet, elementa chimica per se non constituere corpus mixtum, sed aliquo principio *formali* opus esse, ut ex his corpus mixtum constituatur.

16. Itaque hoc sytema *atomismi chimici* in se verum est, si tantummodo contineatur, et coarctetur intra experientiæ limites; at Metaphysica ultra progrediens quærerit, quid sint in se illæ moleculæ integrantes, quæ *materia*, ex qua corpora coalescunt, vocari possunt.

SYSTEMA UNICUM ACCEPTABILE.

17. Jam hæc corporum elementa non aliter concipere possum, nisi ut quædam realitates substantiales simplices, seu incompositæ, id est, unitates puræ extensione geometrica præditæ, ideoque *potentialiter* divisibles, sed quæ sunt *actu* indivisæ propter essentialē vim, quam habent, quæ vis, est vis resistendi; hæ realitates puræ sunt extensionis principium, sed ex se quoad corpora varia constituenda sunt *puræ potentiae*, absolute indifferentes ad hoc, vel illud determinatum corpus efficiendum, unde ad

(1) Sum. th. 3. p. q. 77. a. 8.

hoc, ut aliquod determinatum corpus constituant, absolute necessarium est aliquod aliud principium simplex, quod principium, etsi quidem tamquam vis optime cogitari possit, tamen cogitari nequit ut vis accidentalis et adventitia, quemadmodum cogitantur vires attrahendi et repellendi, et affinitas molecularis et chimica, sed concipitur hoc principium, ut quidam *actus purus essentialis* ad hoc, ut materia, seu illa indefferens potentia ad auctum constituendi diversa corpora determinetur; unde ex hoc actu, et non ex materia illa indifferenti, resultant diversæ species, seu essentiæ compositi naturalis.

18. Jam illas realitates puras, simplices et extensione geometrica prædictas, ex se absolute indifferentes ad quamlibet essentiam recipiendam, vocabant Scholastici *materiam primam*; actum vero, quo materia prima determinatur ad essentiale compositum efficiendum, vocabant *formam substantialem*; *forma* est, quia dat *esse* determinatum materiæ, *substantialis* vero, quia *esse* materiæ determinat in aliqua specie. Materia igitur ut principium passivum se habet, forma vero ut principium activum.

19. Supersedemus ab aliis, considerationibus brevitatis gratia, attente prædicta systemata considerate antequam judicium feratis. Si forte hoc sistema, cuius summam ultimo indicavi, quæ nihil aliud est quam id, quod ego concipio, alicui non placet ex eo, quod materiam primam et formam substantialem subaudit, deponat præjudicium, et appellet sistema *atomismi-dynamici*.

20. Dicetis: Haud possibile est mente comprehendere *materiam*, tanquam aliquid, quod ex se nullâ essentiâ, nullisque qualitatibus ornatur; ergo sistema atomismi-dynamici absurdum figmentum est.

21. Resp., *Neg. ant.* Cum enim intellectus noster vi abstrahendi polleat, possumus considerare in corpore illud, quod determinatur ad certam essentiam, sejunctum ab eo, ex quo ad illam essentiam determinatur, prout aliud dis-

tinctum principium; ac proinde tanquam indifferens ad hanc, vel illam essentiam recipiendam, quod cum illud sit, quædam realitas indeterminata per se ipsam, sed determinanda per aliud, ejus notio absurdia non est.

22. Quod ut magis, magisque patescat, mente reputandum est, nos, cum atomos, seu matérielam à forma se-junctam consideramus, ipsam quidem intelligere, uti S. P. Augustinus ait (1), tamquam *prope nihil*, quia ex se non est *actu* extra nihil, sed tamen non tanquam omnino nihil, quia ipsa, cum sit ens in *potentia*, est aliquid medium inter ens, quod est in se *actu*, et nihil; unde materia illa prima ante generationem corporis existit, ut ait S. Bonaventura (2), secundum *realitatem potentiae*, sive *per modum inchoationis entis*, ideoque est capax ad actum recipiendum, quod de nihilo dici nequit. Igitur illam realitatem, seu potentiam puram concipere optime possumus absque ulla determinatione, quantumvis re existere nequeat sine forma substantiali, sive actu, ad quem ipsa in potentia erat, et in qua sunt rationes seminales omnium formarum, ut ait S. P. Augustinus (3).

Coroll. Ex his apparet, Systema *atomismi-dynamici*, seu scholasticorum, verbis mutatis, est unicum admissible, quin tamen hoc dicamus nodum solvere. Bene igitur potuit Hesiodus dicere. *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.*

DISPUTATIO 2.*—IN QUO SITA SIT CORPORUM ESSENTIA, ET DE EORUM PROPRIETATIBUS.

23. Corpus est omne id, quod essentiam compositam habet, id est, quod constat partibus realiter distinctis ab in-

(1) *Confs. Lib. 12. c. 6.* prope fineim.

(2) In lib. 2. Sent. Dist. 12. a. 1. q. 1. ad arg.

(3) *De Trinit. Lib. 3. c. 8. n. 13.*

vicemque separabilibus. Circa corporum essentiam variae circumferuntur opiniones; dicemus

I.^o *Corporum essentia non consistit in cumulo proprietatum, seu attributorum, quæ in ipsis reperiuntur.* Nam inter corporis attributa alia aliis posteriora sunt, seu ad illa consequuntur, sicut mensurabilitas extensionem. Insuper rei cuiuslibet essentia est illud, quod in ipsa primo concipitur ut radix et origo omnium, quæ de ipsa prædicantur sive necessario, sive contingenter; atqui corporis proprietates concipiuntur dimanare ab esse ejus; ergo proprietates corporum non sunt, eorum essentia.

II.^o *Corporum essentia non consistit in tribus dimensionibus, seu in extensione.* 1.^o Nam si ita esset, ubique existit trina dimensio, ibi corpus existat necesse est; sed hoc est falsum; nam trina dimensio non solum in corpore, sed etiam in loco et in spatio, quæ corpora non sunt, concipimus, et revera invenitur, etenim et spatium, et locum revera mensurari possunt tam secundum longitudinem, quam secundum latitudinem et profunditatem; spatium igitur et locus essent corpus. Sed fieri non potest, ut spatium et locus sint corpora; *quia cum locus, et locatum sint simul, sequeretur duo corpora esse simul in uno loco, quod naturaliter impossibile est.* Ergo non consistit essentia corporis in trina dimensione.

2.^o Insuper, ut sit extensio, necessario præsupponi debet substantia, res, aliquid, quod sit radix et fundamentum ejus, sicut et cæterarum omnium, quæ ab essentia corporum dimanant, eaque in unitatem essentiæ coadunet, illud igitur erit corporum essentia, et non extensio; qua sola minime servaretur in corporibus nec unitas operationum et proprietatum, nec ipsa unitas essentiæ.

3.^o Denique, in SSmo. Eucharistiæ Sacramento per verba consecrationis substantia panis et vini convertuntur in veram substantiam corporis et sanguinis Christi Domini, qui ibidem præsens est, non ratione dimensionis

in se ipso, sed ratione substantiæ; hoc de fide est. Jam vero quomodo Corpus Christi esse posset in admirabili Sacramento ut substantia, et non ut quantum, si quantitas, sive trina dimensio esset essentia ipsius substantiæ corporis?

III. *Nec corporum essentia constitui potest in actuali impenetrabilitate.* Nam illud, sine quo corpus existere potest, non est ejus essentia; atqui sine actuali impenetrabilitate, seu impenetratione corpus esse potest, quin designat esse verum corpus; cum enim ejus vis resistendi finita sit, potest ab alia virtute majori superari ac vinci; possunt etiam corporis naturales relationes ad datum locum abrumpi à virtute supernaturali, et possunt duo corpora has habere ad unum idemque locum, quin amittant naturalem partium ipsorum relationem in ordine ad se, et ideo quin desinant esse vera corpora; ergo etc.

Denique, de impenetrabilitate idem dicendum est ac de cæteris corporum proprietatibus, scilicet, præsupponere debent aliquid, à quo dimanent.

24. IV. *Essentia corporis reponenda est in ratione substantiæ compositæ ex partibus realiter distinctis ordinatis ad se invicem et ad totum, aptæque ad trinam recipiendam dimensionem.*

1. Sane, essentia cujuscumque rei est illud, quo res est id, quod est; quodque illam determinat in specie; quod est fundamentum et radix omnium, quæ de re illa dicuntur, et sine quo res neque est, neque concipi potest. Jam vero ratio corporis, qua tale, consistit in ipsa ratione substantiæ compositæ ex partibus realiter distinctis, adeo ut si hæc ratio ab ipso separatur, non ut corpus, sed ut substantiam simplicem tantummodo concipere licet; deinde dummodo partes realiter distinctæ ordinem ad se invicem et ad totum servent, jam corpus reale concipitur, quamvis actu extensiōne quantitativa careat, quia ratione partium realium et ordinatarum ad totum jam habet naturalem aptitudinem ad

extensionem dimensivam, et actu naturaliter habebit, si à superiori vi ipsâ non privetur, et adhuc si privetur extensione dimensiva ad locum, numquam carebit, neque privari poterit *radicali* aptitudine et exigentia ad illam habendam, quæ necessario oritur ex ipsa reali partium distinctione et ordine earum ad totum. Aliunde sine iis corpus neque est, neque concipi potet, ut patet, vel pauisper de ipso cogitemus.

2.^o Denique ratio substantiæ compositæ ex partibus realiter distinctis ordinatis ad invicem et ad totum, aptæque ad trinam recipiendam dimensionem, primo distinguit corpus physicum ab omni eo, quod tale corpus non est; ita enim distinguitur à substantiis immaterialibus, quæ simplices sunt, non compositæ, suntque incapaces trinæ dimensionis; distinguitur etiam à principiis componentibus corpus, quæ composita esse non possunt, alioquin procederetur in infinitum, et nulla forent principia; distinguitur præterea ab universis accidentibus, sive modis, quibus non competit ratio substantiæ, saltem quatenus modi sunt. Eadem quoque ratio substantiæ compositæ radix est omnium proprietatum, et affectionum corporis physici; hæ siquidem omnes sicut à substantia illa diminant, ita in ipsam tanquam in earum basim reducuntur. Ergo essentia corporis in ratione substantiæ compositæ partibus realiter distinctis, ordinatis ad se invicem et ad totum, aptæqua ad trinam recipiendam dimensionem consistit.

25. *Coroll. 1.* Ergo Deus sua infinita virtute, quæ omnes naturales effectus impedire potest, potest efficere, ut corpus quin desinat esse verum corpus, sit in loco et illum non repleat, cum hoc sit effectus ejus quantitativæ extensionis, quæ, si non radicaliter et quoad exigentiam, quoad effectum accidentaliter est corpori; ideoque non repugnat duo vera corpora esse simul in eodem loco. Item corpus in se unum sine sui multiplicatione potest ipsa divina virtute inire plures externas relationes ad corpora alia, ideoque

potest esse simul in pluribus locis. Nam esse in loco idem est ac esse in spatio determinato a corporibus, quae ipsum ambient, et cum ipso relationem ineunt, jam vero sicut corpus has relationes amittere potest, ita novas adquirere potest; ut fit quotidie respectu corporis Christi in Eucharistia.

2.^o Corpus reale Christi in Eucharistia partibus realiter distinctis constat ordinatis tum ad se invicem, tum ad totum, non vero ad locum; ideoque caput, brachia, truncum, pedes etc., sunt ordinata prout ipsa natura exigit; si igitur Christus vellet accidentales corporis proprietates manifestare, eo ipso perfectus homo appareret conspiciendum, palpandum etc. (1).

26. Rei completam notionem habere non possumus, nisi praeter essentiam, proprietates, quae ab ipsa diminant utcumque, cognoscamus; postquam igitur de corporum essentia possibili brevitate disseruimus, eadem brevitate aliquid de ejus proprietatibus insinuabimus. De iis complementum tractatum texere ac perficere ad physicas pertinet scientias.

27. Si proprietates, quae de corporibus nobis experientia offert, consideramus, nonnullas invenimus omnibus corporibus communes, ab ipsis inseparabiles, in ipsisque permanentes; alias vero non ita; sunt enim ab aliquibus corporibus inseparabiles, in ipsis permanentes; sed non sunt omnibus corporibus communes; alias denique invenimus variables, et accidentaliter sequentes varios corporum status.

(1) Cons. Concilium Trid. Sess. 13. Can. 2.—3.; Chatech. Rom. part. 2. cap. 4. n. 43; S. P. Aug. De Trinit. l. 5. c. 10, S. Thom. Summ. Th. 3. p. q. 76. a. 3.—4. et q. 75. a 2., et in lib. 4. sent. Dist. 12. q. 1. a. 1. sol. 3.

Jam primæ illæ communes et inseparabiles vocantur corporum proprietates *generales*, ex his duæ sunt, quæ, quamvis in statu et modo naturali, quo nobis efferuntur, corporis essentiam non constituant, tamen earum exigentia et aptitudo sunt de essentia corporum; tales sunt *extensio* et *impenetrabilitas*, seu *vis resistendi*; cæteræ sunt 1.^a *figurabilitas*, quæ sequitur limites extensionis; nam cum extensio infinita esse nequeat, certis quibusdam limitibus contineatur necesse est; 2.^a *movilitas*, quæ proprietas est corporis prouti aliis coëxistit, quatenus relationes loci, quas ad illa habet, mutare potest; 3.^a *divisibilitas*, quæ consequitur corpus ex eo, quod corpus partibus realiter distinctis et separabilibus constet. Hic notare oportet, quod non est idem corpus, ac corporis massa; massa est summa resultans ex partibus materialibus; corpus est hæc ipsa summa simul cum interstitiis, seu poris inter moleculas; hinc 3.^a est *porositas*, sesultans ex eo, quod moleculæ materiales, quæ corpus constituunt, non sese immediate tangant, sed æther, aër, vel aliquid aliud inter ipsas jacet; 4.^a *facultas movendi alia corpora per impulsum*; 5.^a *vis attractiva et repulsiva*, sive *gravitas*; 6.^a *inertia*, seu *carentia intrinsici principii determinationis* sive ad motum, sive ad quietem, hinc 7.^a *vis inertiae*, qua corpus statum, quem habet, conservat, et resistantiam opponit vi, quæ ab statu, in quo est, expoliare conatur, quæ resistantia vocatur *reactio*, quæ semper est æqualis et contraria actioni.

28. Proprietates, quæ omnibus corporibus communes non sunt, vocantur *secundariae*, tales sunt proprietas *absorvendi*, vel *reflectendi colores*, seu *lucem*; *odor*, *sapor* etc.

Denique illæ proprietates, quæ sequuntur varios corporis status vacantur *speciales*; tales sunt corporis *pondus specificum*; *durities*, *elasticitas*, *ductilitas*, *chimicæ affinitates* etc.

29. Nunc jam ad conclusionem illas duas primas, ex-

tensionem, videlicet, et *impenetrabilitatem* definiamus oportet; de qualitatibus enim sensibilibus aliis in locis insinuavimus quod sufficit.

Extensio, sive quantitas continua, est illa corporis proprietas, per quam ipsum habet partes extra partes, atque eas communi vinculo colligatas, ita ut *unum per se efficiant*. (Cons. Ont. disp. 14.^a)

Impenetrabilitas est illa proprietas, qua omne corpus cætera expellit ab eo loco, quem ipsum occupat. Ipsa considerari potest tum in ordine ad corpus, tum in ordine ad locum.

In ordine ad corpus: est *vis, qua corpus impedit, ne propriæ extensioni aliud quodcumque corpus suam commisceat extensionem*. In ordine ad locum: est *vis, qua corpus impedit, ne locum, quem occupat, ab alio corpore occupetur, se prius non expulso*. Jam supra insinuavimus (23. 3.^o et 25) impenetrabilitatem actualem non esse de essentia corporis, ideoque fieri posse, ut divina virtute plura corpora unum idemque locum occupent; quia impenetrabilitas in corporibus producitur ex eo, quod eorum dimensiones distinguuntur secundum situm, ac proinde diversa loca occupant. At quoniam Deus, qui est causa prima omnium rerum, potest effectus causarum secundarum in suo *esse* sine ipsis causis conservare, potest etiam conservare trinas dimensiones, seu quantitatem in duobus corporibus, etiamsi non distinguantur secundum situm, hoc est, etiamsi sese compenetrent, eumdemque locum occupent.

30. Hic coronidis gratia animadvertite, quod ad realem J. Christi præsentiam in Eucharistia attinet. Præsentia sacramentalis corporis Christi est diversi generis, ac *quantitativa*, quam in cœlo habet. Et sane, Corpus Jesu-Christi in cœlo est *divisibiliter*, seu *extensive*, sive *quasi-definitive*, ut ajunt, et in Sacramento Eucharistiae est *indivisibiliter*, seu *inextensive*, unde non repugnat illud esse

simul in Cœlo, et in pluribus Altaribus (1). Quod attinet ad apparitiones Sanctorum in pluribus locis, dicendum est, illas evenisse vel ministerio Angelorum, qui in similitudine corporea illos Sanctos repræsentabant, eorumque nomine res gerebant, vel productione novi corporis sive ex nihilo, sive ex alia materia. Cætera ad Theologos.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MUNDI UNITATE, SERIE ET NEXU ENTIUM. DE MUNDI ORIGINE, PERFECTIONE ET FINE.

DISPUTATIO 3.^a—DE MUNDI UNITATE, DEQUE ENTIUM SERIE ET NEXU.

31. Sub quæstione de mundi unitate duo veniunt consideranda: 1.^a an *collectio* hæc, et universitas rerum, quam mundum appellamus (5), sit *unica*: 2.^a an inter corpora hujus collectionis sit *unitas*.

32. Cum nonnumquam nomine mundi etiam intelligatur hic planetes terraqueus, quem nos incolimus, ad primam quæstionem quod attinet, respondemus: Si nomine mundi intelligitur hic, quem incolimus, planetes, probari non posse, nec à priori, nec à posteriori alia vel esse, vel non esse. Nonnulli opinati sunt, inter antiquos præsertim Xenophanes, Anaxarcus et Metrodorus, lunam ac planetas terraquo hui globo similes esse, ac viventibus refertos: idipsum inter recentiores contendit Mich. Fontenellius, Hugenius, Wolphius aliique; major tamen philosophorum pars hoc

(1) Cons. S. Thom. Sum. Th. 3. p. q. 76. a. 5. et Johan. Laurent. Berti, De Theol. discipl. lib. 33. c. 9. ad solut. argum. pag. 84. seqq.

negat. Erraret profecto, qui illorum opinionem certam assereret; sed erraret forte non minus, qui eam primo intuitu improbabilem judicaret. Experientia ad quæstionem solvendam nihil nos docet; ratio probat puram possibilitatem, nihil amplius; Divina revelatio de hoc nihil dicit; quid igitur restat? meræ conjecturæ.

33. Si vero nomine mundi intelligatur universitas rerum ex cœli terræque compagine coagmentata, idem esto responsum; plures enim simul esse mundos sejunctos et independentes non repugnat. Nam unius existentia minime involvit exclusionem existentiæ alterius; aliunde Deum posse ipsos creare nemo sanus negabit. Unica, quæ cuique occurrere potest, difficultas hæc est: vel illa munda, quæ præter hoc cognitum possibilia supponuntur, sejuncta, et independentia *aliquo corpore interjecto* separantur, vel non. Si primum jam non erunt plura sejuncta et independentia, sed unus plus minusve prægrandis; si secundum, vacuo absoluto separantur, quod vacuum, cum nihil sit, nihilo inter sese ipsos separaret, quod idem est ac conjuncta esse, unumque efficere mundum.

Resp. Munda ista jam supponuntur sejuncta et independentia, ideoque nullo interjecto corpore inter se communicare; quin ex hoc sequatur secundum disjunctivæ propositionis membrum. Re vera, quamvis nihil inter ipsa jaceat reale, jacet, seu est possibilitas corporum locandorum, quorum limites erunt superficies extremæ mundorum, quæ supponuntur. Nemo negare audebit Deum posse annihilare omnia corpora, quæ inter hunc, quem incolimus, globum terraqueum, et cæteros omnes planetas jacent; Jam vero, si hoc fecisset Deus, idem quod distant nunc, tunc distarent, cum hac sola differentia, quod hæc distantia nunc est realiter mensurabilis, et mensurata per corpora interjacentia, annihilatis vero his corporibus, solum foret mensurabilis possibiliter, id est, per corpora possibiliter locanda inter hunc planetam et cæteros.

Cum ergo neque ex parte Dei, cuius potentia infinita est nec exhuriri potest, neque ex parte mundorum repugnet eorum pluralitás, dicendum est, plures mundos sejunctos et independentes possibles esse. Utrum autem re vera existant definiri non potest; plures veteres philosophi affirmant, plures, imo sine numero existere mundos (1); SS. Patres vero communiter negant (2). Sed ut SS. Patrum mens, et sensus, quo pluralitatem mundorum negabant, introspiciatur, considerandus est scopus et ratio, quibus negabant. Nam SS. Patres refutabant ethnicas opiniones, quibus pagani philosophi propagabant erroneas doctrinas circa originem et unitatem humanæ speciei, et ex quibus etiam sequebantur exitiales errores circa propagationem peccati originalis, et Redemptionem. Sed nunc jam libenter concedunt Theologi, nihil ex pluralitate mundorum sequi contrarium christianæ religionis dogmatibus. Revera fides christiana non docet omnes homines possibles, aut omnia entia intelligentia hominibus similia, ex Adamo necessario originem ducere oportere, sed solum homines, qui in terra ex terrenis nascentur; et etiam animas nostras à corpore separatas, non in astra, seu alios mundos transmigrare, sed immediate in manus Dei judicandas incidere, ut æterna præmia, vel poenas pro operibus recipient, vel in purgatorium purgandæ eant.

34. Circa mundi extensionem nihil certi definiri potest, nisi quod sit prorsus mirabilis; *majus miraculum est*

(1) Cons. Stobæum, Telogr. Phys. l. 9.; Laërt. de vit. l. 9.; S. P. Aug. Dè Civ. Dei L. 12. c. 11.

(2) Cons. Athenagoram, Legat. pro Christia. n. 8.; Basili. Homil. 3. Hexahem. n. 3.; Ambros. Lib. 1. Hexaem. cap. 1.; S. P. Aug. Lib. de hæres. hæresis 77.; De civ. Dei l. 18. c. 41.; Isidorus Hispa. Lib. 8. Etymol. c. 5,

mundus, ait S. P. (1), omnibus miraculis, quæ in mundo fiunt.

35. Circa mundi figuram dissidentes legimus physicos. Pythagoras, Plato, et Aristoteles ajunt, Universum instar sphæræ esse tornatum, in quam opinionem concesserunt cartesiani vorticum assertores, sed sibi ipsis contradicentes, eo quod mundum asserant indefinitum esse. Ex SS. Ecclesiæ Patribus Basilius, Hieronimus, Thomas asserunt mundum esse sphærale, motuque circulari volvi; alii vero alias ei figuras tribuunt, Dicam cum S. P. Augustino (2) «*de figura cœli hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines, nulli saluti profutura.*»

Probabilius videtur, ipsius figuram esse sphæricam, tum quia figura sphærica representat Dei æternitatem, et perfectiones sine limite; tum quia figura sphærica inter omnes ipsoperimetras figuras est nobilissima et proportionaliter majoris capacitatis, et ad motum aptior.

36. Sub altero propositæ quæstionis aspectu mundus consideratus, scilicet, si inter corpora, quæ universum hunc mundum constituunt, sit unitas, sciendum est.

1.º Esse in mundo infinita prope varietas, inæqualitas et distinctio entium, specierum, generum et individuorum manifestissimum est. Alia enim est natura lapidis, aliarumque rerum inanimarum, alia plantæ, alia belluæ, alia denique hominis; præterea plures rerum inanimarum, plantarum, et belluarum sunt species; alia aliis præstantiores, mirabilis eorum partium structura et ordo, mirabilis varietas virium, inclinationum et singularium finium omnium, et mirabilius adhuc omnium conspiratio ad unum universi finem, qui est manifestatio divino-

(1) De Civ. Dei lib. 10. cap. 12.

(2) De Genes. ad litter. c. 9. n. 20.

rum attributorum, ipsiusque Dei gloria. Cum enim quæcumque res creata ab infinita Dei perfectione infinite distet, consentaneum fuit multas inæqualesque rerum naturas à Deo creari, ut mundus diversis gradibus, et suo modo Divinam Bonitatem manifestaret. Enimvero omne opus, ut observat S. Thomas (1), eo perfectius est, quo propius ad perfectionem suæ causæ accedit. Atqui mundus ad perfectionem Dei propius accedit, si plures, inæqualesque naturas rerum contineat, quam si unam tantum; quippe quod, cum nulla natura infinitam Dei perfectionem repræsentare possit, certe mundus, quo plures, inæqualesque naturas rerum continet, eo pluribus, diversisque modibus Divinam Bonitatem manifestat. Consentaneum quoque erat, ut, quia Deus mundi auctor unicus est, esset etiam unitas possibilis omnium entium, ut modo possibili repræsentet Divinam unitatem.

37. 2.^o Et profecto, ipsa primæ causæ notio, apertissimaque experientia nobis patefaciunt, diversas rerum naturas, ex quibus mundus conflatur, ita comparatas esse, ut omnes secum congruo naturalique vinculo conjunguntur, et pedetentim concinneque ab inferioribus ad altiora ascendunt. Inde pervulgata entium series et classes, seu *scala*, per quam ad Dei cognitionem pervenitur. Nam cum Deus per res ab Eo creatas cognoscatur, res creatæ, prout aliæ aliis præcellunt, considerandæ sunt veluti totidem gradus *scalæ*, per quos mens humana, quantum ejus imbecillitas patitur, ad cognitionem Dei ascendit (2).

38. Jam vero quinque gradus in *scala* creaturarum inve-

(1) Sum. The. I. p. q. 47. a. 1—2.; Cont., Gent. I. 2. c. 45. et I. 3. c. 97.

(2) Cons. S. Bonay. In I. 2. Sent. Dist. 3. p. I.^a a. 1. q. 3. *resol.*

niuntur, quos S. Thomas (1) exposuit hoc modo: Infimum locum tenent mineralia, seu res, quæ sunt expertes vitæ, ideoque dumtaxat veluti *substantiæ* spectantur. Mineralia supereminunt plantæ, quæ vitam quidem habent, sed tantum *vegetativam*, et quoniam vita vegetiva est omnium infima, ideo nomen genericum sumunt, et *substantiæ viventes*, vel *viventia* dicuntur. Supra plantas assurgunt belluae, quæ vitâ *vegetativa* simul et *sensitiva* gaudent, et *animalia* vocantur (2); quia animal per sensum à reliquis rebus discriminatur. Belluis succedunt homines, qui vitam non solum *vegetativam* et *sensitivam*, sed etiam *ratiocinabilem* habent, et *substantiarum rationalium* voce designantur, quia ratio hominem à cæteris rebus discernit. Hominibus cæterisque creaturis Angelii longe excellunt, qui vitâ *intellectuali* pollent, et *substantiæ intellectuales* nuncupantur, quia res non ratiocinatione, sed per species intelligibiles à Deo infusas cognoscunt (3).

39. Sedulo hīc, antequam ad rerum omnium connexionem et ordinem consignandum progrediamur, notandum est, rerum scalam modo descriptam non esse quamdam continuitatem de minori ad majus, ut absurde reputavit Leibnitius, quod absurdum ulnis expansis acceperunt pantheistæ, sed esse per gradus *toto genere* distantes, id est, specie differentes. Nam unaquæque illorum graduum species habet notas, seu constitutiva essentialia, quæ repugnant cum constitutivis aliarum; id, præter notionalem earum conceptum, evidenter manifestant accuratae earum specierum observationes, ita ut impossibile sit invenire, aut concipere inter illos quinque scalæ gradus

(1) Comment. in cap. 8. De Divi. Nom. Lect. 1.

(2) Cons. S. P. Aug. Enarrat. 2. in Ps. 29. n. 2.; Gregor. Mag. Dial. 1. 4. cap. 3.

(3) Sansev. Elem. Cosm. c. 5.

aliquam speciem intermediate, vel *œquivocam*, ut loquitur Bonnetus (1).

40. Verumtamen has diversas rerum naturas, quamvis inter se quoad differentias specificas infinito intervallo, et immensa voragine distent, quodam modo inter sese colligatae existunt in mirabilemque unitatem consentiunt.

Ac primo ratione *naturalis innexus*. Nam diversæ rerum species, etsi discriminantur inter se per differentias, nempe per essentiales proprietates, quæ sunt singularum propriæ, tamen secum consentiunt per genus, cui subjiciuntur. Etenim etsi vegetabilia differant à mineralibus, quia illa vivunt, ista vero vitâ carent, tamen convenient in eo, quod utraque *substantiæ* sunt. Animalia differunt à vegetalibus per hoc, quod animalia sentiunt, vegetalia non sentiunt, tamen convenient in eo, quod ambo vivunt, et viventis sub genere continentur. Homines discriminantur à brutis, quia homines ratione pollent, tamen in eo convenient, quod homines ac bruta sentiunt, et ambo sub genere sensitivorum continentur. Angeli ab hominibus differunt in eo, quod Angeli sunt *substantiæ pure* intellectuales, sed Angeli et homines in eo convenient, quod ambo intelligunt.

Insuper ex diversis speciebus una est perfectior altera, immo in eadem specie sunt diversi essentiales gradus perfectionis, indeque diversæ, ut recentes ajunt, *classes* existunt, si humanam excipimus, in qua, cum teneat infimum locum substantiarum intellectualium, impossibile est invenire plures perfectionis gradus; non ita inter Angelos, inter quos varii perfectionis gradus inveniri possunt. Ex hoc fit, ut nobilior natura per speciem, vel *classem* inferiorem, quam complectitur, cum ea, quæ ignobilioris ge-

(1) De contemplatione naturæ, et in alio opere veluti præcedentis corollarium, cui titulus: *Palingenesia Philosophica*. Consulte P. Merlinum, *Vera clavis operum S. P. Aug. 2. p.*

neris est, conjungatur, et vicissim fit, ut natura inferioris conditionis per speciem, sive *classem* perfectiorem, in qua continetur, quodammodo attingat genus rerum, quæ nobiliori naturâ pollut. Ita bellua per *ourang-outang* (*hominem sylvestrem* (1)) cum homine, et per polypum cum planta conjungitur, quin unquam confundantur (2).

41. Secundo, est etiam in mundo colligatio et unitas ratione *mutuae actionis et influxus* inter res mundanas; quæ mutua rerum actio, ordo et influxus vocatur *nexus dynamicus* (3). Ac

1.º *Ratione temporis*: Quæcumque enim in mundo concipientur entia à rerum initio, serie non interrupta, ita sibi succedunt, ut posterius sémper in præcedente rationem habeat suæ existentiae. Neque enim in natura aliquid sine ratione sufficienti oriri, aut interiri potest; et ita in natura creata contingentium series adeo colligata est, ut necessario unum contingens cum altero devincatur, donec ad primam omnium causam deveniatur.

2.º *Ratione ordinis*: Nam ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil neque excoxitari possit aptius. Omnes enim partes ejus undique medium locum capessentes, nituntur æqualiter: maxime autem corpora inter se juncta permanent, cum quodam quasi vinculo circumdata colligantur, atque in se invicem agunt; luminosa centra planetis lucem et calorem affundunt, eosque in suis orbitis continent: varia siderea systemata se mutuo librant: omnia mundana corpora se mutuo attrahunt; atque in hos omnes effectus tota ætherea massa influit.

(1) *Ourang-outang*, significa en lengüa malaya hombre de los bosques.

(2) Cons. S. Thom. Sum. Cont. Gent. lib. 2. c. 68., et Ferrar. in eundem; Cajet. Sansev. Elem. 10. c.; S. P. Aug. de Gen. ad litt. lib. 8. c. 7. n. 10.

(3) A græco *Dynamis*, quod idem est ac *potentia*, *vis*, *facultas*.

»Sic undique, ait Cicero (1), omni ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo, ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.»

3.^o Ratione *aggregationis*, ac materialis *continuitatis*. Etenim æther subtilissimus omnia mundana spatia replet: per hunc sidera etiam remotissima cum terra communicant, ac suos radios ad nos usque demittunt; eoque mediante magna attractionis lex varia inter se corpora connectit.

42. Est etiam in mundo mirabilis colligatio ratione causalitatis finalis; seu ex eo, quod unum ens ad alterius usum existat, eique inserviat: quæ colligatio vocatur *nexus teleologicus* (2).

Et re vera partes universi ita ordinantur ad invicem, sicut et prortes exercitus ad invicem, ait S. Thomas (3); quam S. Doctoris assertionem omnes naturales scientiae mirifice comprobant; quin per singulas percurramus, ex iis, quæ cuique obvia sunt, evidenter constat. Nam sive in cœlum, sive in terram, sive in mare oculos conjiciamus, in phænomena incidimus, quæ luculenter commons-trant, res omnes aliarum finibus commodisque inservire. V. gr. mineralia ad hominis usum, ornatum, tegumentum etc.; plantæ ad nutrimentum animalium, et hominum adhíbentur; animalia in usum et commodum hominum cedunt; omnes aliæ res, puta aqua, aër aliaque hujusmodi ad plantarum, belluarum, hominumque bonum comparatae sunt. Atmosphæra respirationi, sustentandisque vaporibus, qui ex aquis oriuntur, inservit; venti vapores in nubes co-gunt, et noxias exhalationes dissipant; ex montibus aquæ decurrunt, ut plantæ, bruta, et homines ad vitæ conservatiōnem ipsis utantur. Tota terra, corporaque cœlestia

(1) De Natur. Deor. I. 2. c. 45.

(2) A graeco *Telos* finis, terminus.

(3) Sum. Cont. Gent. I. I. C. 78. n. 3.

in sese invicem gravitant, et gravitatione sui concentum illum, sive harmoniam efficiunt, quæ astronomos incredibili stupore percellit. Hic vero concentus non modo inter diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, sed etiam inter partes organicas cujuslibet viventis conspicitur (1). In iis enim singula organa ad easdem operaciones in eadem specie destinantur, atque ita inter se connectuntur, ut integer perfectusque organismus inde existat (2).

43. Ex eo autem, quod nexus finium, seu nexus dynamicus per causas efficientes, et nexus teleologicus per causas finales inter res mundanas existat, illud tamquam corollarium consequitur, res mundanas, videlicet, ad unicam causam finalē, quæ extra mundum est, referri. Et sane, res mundanæ nexus finium inter se connectuntur ex eo quod sunt partes unius entis compositi, nempe mundi. Atqui omnes partes entis compositi ad ejusdem entis compositi finem, qui nonnisi unus esse potest, assequendum concurrunt. Ergo res mundanæ ex eo quod per nexum finium suorum inter se connectuntur, ad unicam causam finalē mundi referuntur. Hæc autem extra ipsum mundum existere debet, quia in rebus creatis finis extra rem, cuius est finis, invenitur. Et profecto hic ultimus mundi finis, neque est, neque alijs esse potest, quam gloria Dei extrinseca, id est, communicatio et manifestatio divinarum perfectionum, ut in Theologia naturali videbimus (3).

(1) Cons. S. P. Aug. Contr. aduers. leg. et proph. l. 1. c. 6. n. 9.

(2) P. Franc. Rothenfl. Cosm. pars. 1. prop. 2. Matr. 1849;—Cons. Bossuet, *De cognitione Dei et sui ipsius*;—Fenelon, *De existentia Dei*;—Sturm, *Reflexiones sobre la Naturaleza*;—Mario Aubert, *De existentia Dei et immortalitate animæ*, Barchinone Libraria Religiosa;—Blainvilleo, Supl. Dict. sci. nat. tom. 1. art. ani.

(3) Cons. Caj. Sansev. Elem. Phil. etc. Cosmol. cap. 5.; præcipue vero S. Thom. Cont. Gent. l. 4. c. 1.

DISPUTATIO 4.^o—DE MUNDI ORIGINE.

44. Acturi de origine mundi antiquorum, recentiorumque philosophorum errores referamus oportet. Cum enim illi creationis, seu effectio[n]is rerum ex nihilo Mysterium vel penitus ignoraverint, vel notionem valde obscuram, aut corruptam habuerint, incredibile dictu et cogitatu est, in quot, quantaque absurdā, et deliramenta inciderint, quæ absurdā, quæque deliramenta, quamvis numquam defuerit aliquis pervicax, qui sub una, vel altera forma non renovasset, recens incredulorum turba omnia exuscitare conatur.

45. Omnes de origine mundi opinamenta ad hæc reducuntur.

1.^m Est eorum, qui mundum et Deum unum idemque esse somniantur, proindeque unicam esse substantiam increatam, æternam, infinitam, quæ diversimode se ipsam evolvit, perficit, ac manifestat. Hic error vocatur *Pantheismus*, à *Pan* omne, *Theos* Deus. Multæ sunt formæ, quibus se prodit vel à remotissima antiquitate, ut videbimus.

2.^m Est eorum, qui autumarunt, mundum semper extitisse in eo statu, in quo nunc est; sed erroris hujusmodi assertores bifariam dividuntur. Alii enim dicunt, mundum esse increatum, ideoque à se. Alii vero dicunt, ipsum creatum quidem esse à Deo, sed ex necessitate naturæ, eo quod Deus, juxta ipsos, non sit causa voluntaria et libera, sed causa essentialiter creatrix. Quomodo cumque sit vero, ponunt mundum æternū. Primi vocari possunt *dualistæ*, alteri *fatalistæ*.

3.^m Est eorum, qui dixerunt mundum non esse quidem æternū, sed æternam esse materiam ex qua mundus effectus fuit; atque ii itidem dividuntur bifariam. Alii enim dicunt, ex illa æterna materia *concursione fortuita* mundum

effectum fuisse. Alii vero ajebant, Deum fuisse, qui materiam æternam ordinavit, ideoque vocabant Deum non mundi creatorem, sed *opificem*. Hoc etiam systema dualismum profitetur.

4.^m Denique, est eorum, qui divina revelatione freti, ipsaque rationem collustrante ac dirigente affirmant, mundum et esse à Deo ex nihilo, id est, non ex aliquo, quod antea extitisset, creatum, et quidem cum tempore liberrime absque ulla necessitate.

¶ Oh omniscia ratio humana, et quantum vales, tibi soli relictā, ad ea omnia, quæ te ipsam destruunt, amplectenda!!!

46. Nunc jam singulas percurramus, appositisque propositionibus tres primas disjiciamus, quo última non solum argumento exclusionis probata manebit, sed etiam directe probare aggrediemur, deinde nonnulla scitu digna leviter attingemus.

47. Sed antequam manus ad opus admoveamus, sciendum est, rationem humanam, ut vel ex ipsa historia omnium populorum patet, sibi soli relictam omnino incapacem esse sibi efformandi claram notionem creationis; mirum igitur non est, quod omnes illi philosophi, qui vel divina revelatione caruerunt, vel corruptam acceperunt, vel ut hodierni faciunt, satanica superbia inflati eam despiciunt, in tot absurdā, tantasque stultias inciderint, et nunc de novo instaurare conentur.

48. Ad primum igitur errorem, seu pantheismum quod attinet, sciendum est, hanc mentis humanæ aberrationem antiquissimam esse, et omnia ethnicorum philosophica systemata plus minusve fedasse; non adeo tamen, ut nonnulli opinantur, cum suspicere liceat, plerasque philosophorum loquendi formulas metaphoricas fuisse, aut æstro quodam poëtico animatas, quod patet ex ipsamet principiorum contradictione, quæ ipsis tribuitur, et ex eo quod omnes populorum traditiones principium quoddam activum, vel *ex*

chao, vel *ex tempore* sine limite, vel ex alio quocumque principio omnia generans, vel producens inducant. Cæterum, antiquorum pantheismus longe ab Spinoziano diversus fuit, et à pantheismo eorum, qui præsenti ætate, simiarum more, antiquos æmulantes atque impietatis et insaniæ culmen attingentes, nobis oggerunt velut magnum progressum antiquorum mythos et fabellas, cum hac sola differentia, quod hodierni vani jactatores, ut quamdam originalitatem simulent, verbis involutis, obscuris et inusitatis insanam theomachiam adoriuntur, quin nihil intentatum relinquant, ut sua deliramenta non solum in omnia philosophica, sed etiam historica et litteraria, quin imo in religiosa etiam insinuent. Impune ex hinc omitti potest usque ad pag. 57.

Jam pantheismi historiam breviter exponamus.

49. Pantheismi characteristicæ notæ sunt, identificatio finiti cum infinito, cuiuslibet limitatæ intelligentiæ cum absoluta, confusio Dei cum mundo, uno verbo: unicam esse substantiam, quæ se ipsam diversimode modificat ac manifestat. Ex quo suapte naturâ dimanant omnes impietas et absurdia, quæ adeo circumfluunt in hac nostra ætate, adeoque præsens deturpant sæculum.

50. Ad duas præcipuas species revocari potest pantheismus, scilicet: 1.º ad *emanationem transeuntem mundi* è divina substantia; hic apud antiquos proponebatur sub *forma mythologica*, media autem ætate sub *quodam mysticismo*, in præsenti vero sub *quodam historicō progressu ac perfectibilitate humanitatis*.

2.º Ad *evolutionem immamentem realem* ejusdem divinæ substantiæ; sub hac *forma* à philosophiis *Vedanticis* orthodoxis ortus varias modificationes passus est à schola *Eleatensi* et *Alexandrina Neoplatonica*, à Spinoza sæculo XVII, cui præiverat Jordanus Bruno; nunc præcipue proponitur sub forma *evolutionis idealis absoluti*, ita sub progressū larva nos retro agunt hodierni pantheistæ, seu

progressistæ ad 1,500 annos ante Christum, ad somnia vedanticorum.

§. I. *Emanatio transiens.*

51. Prima igitur forma, sub qua pantheismus apparuit, est *emanatio transiens*. Obliterata enim notione creationis ex nihilo, primum erat in eum errorem labi mortales, ut rerum omnium semina ac materiam, ex qua res factæ sunt, in divina substantia præextitisse opinarentur; invenimus hunc errorem apud Indos, in Theologia Brahmana, quam vetustissimi ejus gentis continent libri, quos vocant *Vedas*, quique nihil aliud sunt, quam traditionum oralium collectio in quatuor libros distributa, scripti dicuntur 1,500 annis ante Christum. In his traditur

52. 1.^o *Circa Deum.* Ab æternitate existit *Brahm*, substantia prima, infinita, unitas pura, ens entium: Erat *Brahm* in tenebris *luminosis*: Erant *tenebræ*, quia *Brahm* est existentia indeterminata, in qua nihil distinctum apparet; *tenebræ* nihilominus erant *luminosæ*, quia quamvis indeterminatus *Brahm* existebat, et omnis existentia est lux. Erat quasi in dulci sopore, seu somno, ejus enim creatrix vix sopita nondum evolvebatur. Expergefactus *Brahm* in vim creatricem, principiumque omnium sese convertit; *tenebræ* vertuntur in lucem, intelligentia prius indeterminata se determinavit, potentique atque secundo *Verbo* omnia creavit: tunc triplex nomen accepit, scilicet, *Brahama* quatenus creat, *Wichnou* quatenus conservat, *Siva* quatenus materiæ formas conservat aut renovat, sub hoc triplici statu constituit *Trimo-urti*, quæ tamen evolvi non potest donec *Brahama* ē suo sinu educat aliud principium, cui nomen *Maya*, materia, illusio, quæ est origo existentiarum individualium; ejus primitiva forma erat materia liquida, aqua: ex conjunctione *Brahmæ*, in cuius aureo ventre erat *Sivada*, receptaculum, in quo sunt formæ ar-

chætypæ omnium rerum, cum *Maya*, oriri dicuntur omnia entia, hoc modo: primo *Mahabouta*, quæ est condensatio elementorum simplicium, et *Pradjapati* condensatio materiæ; ex conjunctione horum *Mahabouta*, scilicet, et *Pradjapati* orti sunt *genia*, speciatim vero species humana. Primus homo vocatur etiam *Pradjapati*, qui divisus mulierem ex se produxit.

53. 2.^o *Circa mundum.* Omnis res creata ortum duxit ex unione *Brahm*, principii prototyporum, cum *Maya*, principio individualisationis. In creatione triplex tempus distinguitur; 1.^m quod entibus *inorganicis*; 2.^m quod entibus *organicis*; 3.^m quod entibus *intelligentibus* respondet. In prædictis libris mundus traditur esse pars quædam entis divini, cuius emanationem ē *Brahama*, ut clarius explicent, his imaginibus utuntur: *Brahama* est velut aranea æterna, quæ telam creationis ē sinu suo continuo educit et vicissim in se reducit, aut ingens pyra ignea ex qua scintillant omnes creaturæ etc...

54. 3.^o *Circa hominem.* Docetur lapsus hominis, metensychosis, immortalitas animæ.

55. Verum non satis aperte appareat, utrum pantheismus proprie dictus contineatur necne in libris sacris Indorum *Vedas* appellatis; tamen nulli dubium esse potest verum pantheismum, omni remota ambage, doceri in libris *Vedanta* dictis, qui sunt quædam illorum expositio et ampliatio, cuius auctor vulgo dicitur esse *Vyasa*, et in alio libro ejusdem generis, cuius auctor est *Kapila*, ut infra videbimus. Hinc diversæ eruditorum opiniones circa Indorum pantheismum, affirmantes alii alii negantes. (1).

(1) Cons. *Anquetil Duperron*, *Theologia et philosophia indica*, ab idiomate persico in latinum ab ipso versum opus, cui titulus: *Oupnek-hat* 1081 edit.-Hug.; Windishemani, *de Theologumenis Vedanticorum*. Bonnæ 1833. Compendium Hist. Phil. D. Victor Arnaud Lambea periodo 1.^o phil. indi. Mat. 1847.

56. Sed si dubitare licet de pantheismo Brähamanico, non æque dubitare licet ipsum contineri in geogoniis Ægyptiorum, et Persarum: primi etiam Græcorum mystagogæ ac vates hanc ipsam doctrinam tradidisse videntur; quin sub æræ quoque christianæ initium gnostici (id est sapientes illuminati) eam profitebantur. Apud hos omnes emanationis theoria mythorum plus minusve ridiculorum velamine contegebatur, quo factum est, ut brevi aditum politheismo aperiret. Hanc ipsam pantheismi speciem in-duebat schola Jonica, cujus parens Thales Milesius fuit, (639 ant. Chris.) præcipui autem sectatores *Anaximander*, *Anaximenes*, *Anaxagoras* et *Heraclitus*. Hi enim materiam æternam simul cum principio intelligente ipsam vivificante et animante unum totum constituere docebant. Hanc scientificis formulis expresserunt Pythagoras (584 ant Chris.) ejusque schola.

57. Postquam ab Evangelii præconibus creationis dogma, quo pantheismus omnino destruitur, promulgatum fuit, Neoplatonicorum schola sub initio sæculi II, quæ primum Romæ, et Alexandriæ, deinde Athenis viguit, pantheismum tueri pro viribus adnixa est. Horum præcipui habitu sunt Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, et Proclus. Isti docebant unicam existere substantiam, nempe divinam, cæterasque res omnes non esse nisi *efluxus*, aut *emanationes*, aut *radios* illius divinæ substantiæ. Sed tandem, salutari luce Evangelii paganæ philosophiæ tenebris depulsis, hac ex parte, teterimum pantheismi monstrum, penitus interemptus est.

58. Hoc ipsum orientale systema emanationis transeuntis docuerunt Judæi Kabbalæ studiosi. Hi ajebant: Deum esse *lumen primævum*, ex quo per succesivas emanationes res omnes ortæ sunt ita, ut quævis emanatio antecedens sit origo subsequentis. Cum horum doctrina mystica alia multa commixta sunt de ascensione animæ ad lumen primævum, de ejus cum spiritibus mediis immediata com-

municatione etc. (1) Hodie spiritismus.

59. Deinde docuerunt hoc nonnihil modicatum *Arabes* Aberroes, Al-Asshari, et quædam arabum eorum secreta societas, cuius præcipuum lemma erat: *Non est Deus præter mundum materialem, nec lex præter voluptatem, nec jus est aliud nisi potentior vis.*

60. Sæculo IX Scotus Erigena, cæterique realistæ heterodoxi pantheismum profitebantur, inter quos præcipui sunt Almaricus Carnotensis, sæculo XII, damnatus in concil. III Later. 1215, et David de Dinando: hic ajebat: Deum esse materiam primam seu causam materialem mundi; ille vero effutivit: Deum esse principium formale omnium rerum (2).

61. Sub fine sæculi XIII Beguardi, Fratres ac sorores spiritûs liberi (3), inter quos præcipiuus Frat. Eckartus, mysticismum Scotti Erigenæ, qui pantheismo valde affinis est, instaurare conarunt, necnon sæculo XVI ipse Zuングlius. Porro horum *mysticismus* est illa philosophandi methodus, quæ sumit perfectam rerum cognitionem menti humanæ ex *mystica*, sive arcana quadam ejus cum Deo unione obvenire, qua animus immediate apprehendit vitam suam *consubstantialem* in Deo, qui utpote infinitus amor se manifestat in spiritu et natura (4).

Eckarti errores Joannes XII damnavit, Bullâ incipiente: *In agro Dominico*, anno 1330.

62. Jam mysticismus cum pantheismo colligari clarum est. Et sane: Neoplatonici, cum persuasum habuerint, mentem humanam esse *emanationem* Divinæ substantiæ, inde colligerunt, ipsam tunc veram cognitionem adipisci,

(1) Cons. Ad. Frank. La Kabbale, ou la Philosophie religiensa des Hebreux, pars. 2.^a C. 4. Paris 1843.

(2) Cons. S. Thom. Sum. Th. 1. p. q. 3. a. 8.

(3) Non confundendi hi sunt cum Fratricælis.

(4) Cons. Joan. Perron. *Theol. Præl. tract. de locis th.* P. 3. sect. 1. c. 1. n. 127.

cum se esse unum, et idem cum divina substantia cognoscit, atque in hac cognitione conjunctionem ejus cum Deo ponunt (1). Sed hoc ipsum ponebat Eckartus. Ejusmodi pantheismus constituit doctrinam essentialem *sansimonianismi*, qui in ea fundat novam illam *reconstructionem*, seu *reordinationem* societatis humanæ, illumque neo-christia-

(1) Philosophicus iste mysticismus autem confundendus non est cum mysticismo catholico. Hic, secundum Sacrae Scripturæ, et traditionis doctrinam, à SS. Patribus expositus et inculcatus, sæculo XI per duos Victorinos Hugonem, et Richardum, et sæculo XIII per S. Bonaventuram scientiæ formam accepit, et secundum Areopagitam *Theologia mystica* dicta fuit. Jam vero *Theologia mystica* docet, unionem arcanam cum Deo, quam animæ sanctæ quandoque in hac vita assequuntur, esse *donum supernaturale*, et extraordinarium, quod Deus ipsis largitur, ad eamque animus per actus supernaturales Fidei, Spei, et Charitatis, et per indefessam exercitationem bonorum operum pervenire. Ex quibus conficitur, *Theologiam mysticam*, ut ait P. Cordierius, tam in substantia sua, quam in modo procedendi, esse supernaturalem, siquidem et principia ejus, et media, et finis, et in hunc tendendi modus *naturæ vires*, atque *ordinem* penitus transcendunt (*Isagoge ad mysticam Theologiam*, Præf. ad opp. S. Diony. Areop. vol. 1. Paris. 1844), cum mysticismus philosophicus hæc omnia pro naturalibus habeat. *Mysticismus catholicus* secundum methodum psychologicam procedit; siquidem *Mystici* docent, animas ad eum supernaturalem statum per considerationes affectivas diversorum generum rerum, tamquam per gradus ascendere, atque in primo gradu ponunt sensibilium genus (*Cons. S. Bonav.*, *Itinerarium mentis ad Deum*, cap. 1. et 2.; P. Scaramelli, *Differentia et Discretio spirituum*; Bergier *Diction. Theol. Verb. Theologia mystica*) Tacendum autem non est, quosdam theologos et mediæ et recentis ætatis mysticismum catholicum cum fœdis, aut saltem falsis dogmatibus corrupisse: ex quo *pseudomysticismus*, sive mysticismus heterodoxus extitit. Hæc vos monitos volui, quia plerique hodierni Rationalistæ nullum, quod rei substantiam attinet, discrimen agnoscunt inter mysticismum philosophicum et *Christianum orthodoxum*, et inter hunc et *Christianum heterodoxum*. Semper verum erit illud: *animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. 1. Corint 2-14.

nismum, cui jugiter adlaborat. Talis est philosophica et historica doctrina, quæ dicitur *progressus indefiniti*. San-simonianas fatuitates inter nos disseminare tentarunt non-nulli, inter quos eminebant Julianus Sanz del Rio, et Emilius Castellar, schola pantheistica, ad quam hic ejusque consocii pertinebant, obgannit, hominis vitam constitui in *traditione vivente et actuali humanitatis*, et in hac traditione fundatur magnum progressus et perfectibilitatis continuæ dogma (1).

(1) Emilius Castellar definiebat Deum hac ridicula logomachia in ephemeride «La Discusion:» Cum (Deus) existat veluti *persona absoluta* in se et per se, fundamentalis omnium entium ratio, omnisque existentiae causa; in natura semper præsens per ejus leges; in spiritu per sui revelationem, mens (pensamiento) absoluta: idea è cuius sinu omnis vita procedit, quæ ejus benedicto servatur amore, radix et origo omnium idearum, immutabilis axis adamantinus, quo creatio evolvitur infinita et absolute libera: veritas, justitia, et perfecta pulchritudo: Deus sua providentia omnem ambit historiam.» Ecce errores:

1 Error *Deus persona absoluta*. Prima chatechismi elementa docent, Deum esse unum in essentia, Trinum in personis. Est de fide contra Ari-anos. 2. Error *Deus præsens naturæ per leges* etc. Deus enim est præ-sens per essentiam, utpote immensus; omnia conservans ac dirigens etc. Est de fide contra Socinum et Wortium Calvinistam. 3 Error *Deus præsens animæ per revelationem*. Si, ut ipse facit, nihil aliud additur; est error Spinosæ ajentis, *animam esse revelationem Dei*. Deus est præ-sens animæ per essentiam, insuper et per lumen naturale, per legem naturalem, et per gratiam (si excipimus sectæ conjuratos). 4 Error *Mens (pensamiento) absoluta*: Hic est purus putusque pantheismus. 5. Error *Idea origo et radix omnium idearum*: Hic est Heghelii pantheismus. 6 Error *E sinu suo omnem vitam producit*: Hæc est doctrina mythologica Brachmanium, in libris *Vedas* contenta. 7 denique Error: *Deus sua providentia omnem ambit historiam*: Hæc propositio in sensu nostri Doctoris confundit Deum cum homine, vel abstracto humanitate. In quodam literario lyceo (Ateneo) dixerat; Deus est humanitas pro-grediens in perfectionem. Eritne ille Deus in fieri Heghelii *Horribile dictu!! infelix!!*

§. II. *Evolutio immanens, sive realiter, sive idealiter.*

63. Pantheismus sub forma *evolutionis immanentis realis* culmen absurditatis attingit dum consocians pantheismum cum idealismo, infinitæ et absolutæ unitatis evolutionem non aliam admittit, quam phænomenalem et idealem. Hæc somniorum summa quamvis ut nova et veluti magnus progressus à neotericis gymnosophistis proponatur, revera antiquissima est. Breviter per ætates hunc errorem persequemur.

64. Doctrinam evolutionis *immanentis realis* sensu idealistico tradiderunt in India philosophi *Scholæ Vedanticæ*: suum systema exponunt in *Oupnek'-hat* (*oupanischads*); Excerpta quædam, seu antiqua compilatio librorum sacrorum *Vedas*, quæ cum iis consentanea sit orthodoxa nuncupatur. Hoc systema *vedanta*, cuius auctor vulgo dicitur *Vyasa*, semper nactum est non paucos sectatores, et adhuc hodie magno habetur in honore: *Ram-Mohum-Roy* mortuus in Anglia anno 1833, hujus systematis patronus pro viribus illud tuebatur.

Aliud systema, *Sankia* nuncupatum, cuius auctor dicitur *Kapila*, hac ex parte pantheistica, vedantis consentaneum est.

65. Jam *Vedantici* philosophi contendunt, unicum existere ens infinitum nomine *Brahma*, ens æternum, purum, illimitatum, omne autem id, quod Brahama non est, omnes res multiplices et compositæ, quæ nobis apparent, non reale quidpiam esse, sed calentis phantasiæ puram illusionem. Quocirca cum existimamus, mundum, homines, nosque ipsos esse entia, et à *Brahma* distingui, vanis speciebus realitatem tribuimus ac in somnii statu versari: cum vero cognoscimus *Brahma* solum esse, nihilque aliud præter ipsum, tunc expurgiscimus scientiaque potimus: inde ortum duxit effatum illud scholæ vedanticæ: *Brahma*

solus existit, et quidquid non est Brahma est humanae mentis ludibrium; quo mentem suam etiam Vedantici clarius aperirent, variis imaginibus usi sunt: Brahma est, ajunt ipsi, velut moles argillacea, cuius formæ sunt cunctæ res singulares; aut oceanus, cuius fluctus, spumæ, guttæ, quæ licet aliæ ab aliis distinctæ videantur, tamen revera ab oceano non distinguuntur, sunt res creatæ. Hanc eamdem doctrinam tradit *systema nuncupatum Sankhia de Kapila.*

66. *Bauddhistæ et Djainas,* sectæ religiosæ, quæ contra Brahmanium præpotentiam et doctrinas sese rebelles surrexerunt *Baudha duce*, (nato à patre rege Magad'dhæ in India (Hindostan) mille annis ante Christum) qui docebat, rerum omnium principium esse *vacuum purum* (1), nullamque admittebat distinctionem inter res, nisi apparentem: in tria hujus sectatores abierunt præcipua systemata, quorum primum est idealista, quod postea exuscitavit Berkelejus (1684): secundum est materialista, affine materialismo Petri Georgii Cabanis (1757): tertium plane identicum est pantheismo subjectivo Theophili Fichte (1762). Hoc tertium docet: nihil aliud reale existere præter *ego*, nullam realitatem admittit nisi realitatem *to ego*. Hoc *ego* est æternum, omniaque phænomena, quæ uti realitates nobis apparent, nihil aliud sunt nisi manifestationes ipsius substantiæ *ego* (2).

67. Eamdem fere doctrinam sectata est inter Græcos schola eleatensis, quæ à Xenophane orta (536. an. ant. Christ.) Parmenidem, Zenonem, Melissium Samium magistros acerrimosque propugnatores habuit. Hi perperam interpretantes illud principium *ex nihilo nihil fit*, tanquam principium indubium statuebant, fieri prorsus non posse,

(1) Per vacuum intelligent *spiritum*.

(1) Cons. Franc. Rothenfl. synop. hist. Phil. Sect. 1. §. II.; M. Bouvier, hist. Phil. lib. 2. c. 5., Victor Arnau Lambea, Hist. Phil. 1. period. Phil. indi. pag. 8. seqq. ed Matri. 1847.

ut quidpiam novi, sive substantia, sive modificatio sit, producatur. Proinde quidquid est, æternum esse et immutabile: res finitas, ac propterea inter se dissimiles, ac mutabiles, pura esse phænomena: unicum tantummodo ens agnoscere oportere, et id absolutum, infinitum ac semper idem. Hinc illud apud ipsos; *quod cogitat, et quod cogitatur, unum idemque est*: quod effatum tanquam proprium inventum hodierni Pantheistæ sibi vindicant. Prosit.

68. Deinde Stoici eidem insaniae accesserunt. Hi Zenone Cyprio duce (mortuo 260 ant. Christ.) opinati sunt, Deum mundi animam esse; seu, mundum ipsum Deum esse dicentes, eumdem in duplicem distribuerunt substantiam; spiritualem unam et actuosam, quæ mundum hunc materialem pervaderet motuque cieret; alteram vero hunc ipsum mundum materialem et extensem, qui velut pars exterior Dei ipsum Deum vestiret forinsecus, ac sensibus et mutationibus subderet (1).

69. Pantheismus sub hac forma *evolutionis immanentis* abiit denique in purum scepticismum; sæculo autem IX Scotus Erigena, quamvis sub quadam specie mysticismi à neoplatonicis sumpti, revera pantheismum *vedantorum* adamussim profitebatur: *Deus est omnia, omnia sunt Deus, ipse est unica vera substantia*, ajebat ipse in libro de *Divisione naturæ*; sæculo XVI Scholæ Eleatensis dogmata conatus est instaurare Jordanus Bruno (2) (mortuus Romæ 1600).

70. Ejusdem pessimi erroris jampridem explosi reconstructionem scientificis formulis aggressus est Baruch, seu Benedictus Spinosa, vir post rejectum Judaismum nullam professus religionem, natus Amstelodami Batavorum (1632), qui in eo omnes sui ingenii nervos intendit, ut integrum pantheismi systema concinnaret in suo opere: *Ethica geo-*

(1) Cons. Curw. syste. intellect. c. 9. §. 23.

(2) In operibus: De lla causa principio è uno, De infinito universo.

metrico more demonstrata, seu ut ipse inscripsit: *Bened. de Spinosa principia philosophiae Renati Descartes parte I. et II. more geometrico demonstrata*; et in alio opere postumo edito à Ludovico Mejer, cui titulus; *Opera postuma Benedicti Spinosa*.

71. Jam substantia, ejus judicio, est ens quod per se est, et per se concipitur. Hanc notionem substantiæ Spinosa à Cartesio male interpretatam mutuatus est, nam, ut alibi vidimus, Cartesius loquens de substantia ait: nos, cum substantiam concipimus, non aliud concipere, nisi rem, quæ ita existit, ut non nisi se ipsa ad existendum indigeat (1). Hinc Spinosam à Cartesii philosophia suum pantheismum elicuisse concors historicum opinio est (2).

72. Et revera, in citato opere præmittit Spinoza octo definitiones, in quarum tertia dicitur: *pro substantia intelligo id, quod in se est et per se concipitur, seu, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, ut formetur*. Hac notione in nixus statuit, in sexta propositione; *unam substantiam non posse produci ab alia substantia*, quia secus illa sine ista existere, et concipi non posset; hic supponit perperam, ut jam statuerat in quarto axiomate, *notionem effectus à notione causæ pendere, eamque in se involutam amplecti*: quo circa non nisi unica substantia dari potest, eaque improducta esse debet, sive hujusmodi, ut ejus essentia existentiam necessario involvat. Hæc igitur unica substantia est Deus (prop. XVI). Quod si præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia, sequitur omnia, quæ sunt, non aliud esse posse, nisi affectiones, sive modos ipsius Dei. Jam omnes res, quæ exstant, aut res corporeæ, aut res cogitantes sunt, et, quoniam inter infinita Dei attributa sunt *cogitatio et extensio*, patet res extensas infinitæ ex-

(1) *Les principes de la philo.* part. §. 51.

(2) Cons. Tennemann, *Hist. phil. germ.* vol. X. Lipsiæ 1817: De gerando, *Hist. phil. moder.* tom. 2. c. 15. seq.

tensionis; et res cogitantes infinitæ cogitationis Dei esse modos. In hac Spinosæ Theoria, depositis formulis scientificis, apparet purus putusque vedantorum plagijs.

73. Spinoza vix unum aut alterum suffragatores habuit, é contrario innumeros, eosque doctissimos adversarios nactus est (1). At novissime germani Philosophi, qui *transcendentes* (2) appellantur, Spinosam iterum personatum in scenam producentes novâ, sed non minus absurdâ formâ ejus impium systema in medium protulere: nos progredi facientes nihil minus, quam ad vedanticorum et eleaten-sium somnia!

74. Novam hujus aberrationis viam ingredientiunt hi progressistæ ducti à doctrinis Kantii. Is enim, quamquam et objectum et subjectum reciperet, cum tamen omnes objecti formas à subjecto derivaret, objectum ipsum inex cogita-bile fecerat, et arbitrarie solum ac precario phænomeno-rum realitatem recipere videbatur. Ipsi pviderunt Kan-tium sibi haud cohærere, cum non aliam realitatem ab anima intelligi posse statuit, nisi quam ipsa é formis sibi insitis producit, et simul materiam cognitionis ab objectis extra mentem positis derivavit. Erat itaque spectandum fore aliquem ex ejus discipulis, qui magistri incohæren-

(1) Inter quos: *Cuper*, Arcana atheismi revelata; *Jacquelot*. Theol. proct. disert.: de Dei existentia. *Abbadie* (Calvinista), tract. de Christi Relig.; *M. Fenelon*, de Dei existentia. Cons. Ab *Bergier*, Dicti. Theol. art. Spinosismo.

(2) Sub *transcendentalismi* nomine designantur illa diversa syste-mata recentium Germaniæ philosophorum, à quibus origo nostræ cognitionis ita exponitur, ut mens ipsa dicatur sibi construere suæ cognitionis objecta. Ipsi appellantur *transcendentales*, quia omnem experien-tiam *transcendentem*, seu transiliunt, et originem cognitionis humanæ de-monstrare student à priori, nempe ab ipsa analysi cognitionis remotæ ab omni experientia sive interna, sive externa. Cons. *Caj. Sanse. phil. Christ. etc. cap. 4.*

tiam corrigens, ejus opus prosequeretur atque objectum eliminaret, solo subjecto retento. Et profecto ipsi illud eleatensium principium amplexi: *ideas nostras à rebus ipsis non distingui, idque, quod cogitat, et quod cogitatur, unum idemque esse*, alterutrum inde inferre poterant: nempe, aut *illud unum esse ipsum to ego*, cæterasque res non aliud esse, nisi phænomena, ab ipso illo *ego* cogitante producta, quæ non aliter, quam vi nostræ cogitationis subsistunt, affirmandum erat cum *Baudhists*; aut *illud unum non esse quidem subjectivum, et relativum, quemadmodum to ego est, sed quidquam objectivum, et absolutum*, nempe hujusmodi, ut subjecti et objecti principium sit. Jam prior sententia arrisit Joanni Amadeo Fichte (1); altera vero Friderico Josepho Schellingio (2) arrisit.

75. Fichte enim eo usque deliravit, ut à *to ego puro*, seu sine conscientia, infinito, indivisibili, ipsum *to ego non purum*, seu cum conscientia sui ipsius, divisibile, et finitum, atque *non ego*, seu mundum *poni*, necnon Deum *creari* sibi persuaderet. En ejus positio: Unice est *ego* absolutum et illimitatum, quod activitas infinita est. Hac activitate necessario *imagines* creantur et ideæ, quibus exterior mundus continetur, quin tamen *ego* creans vel eas, vel se agnoscat ac sentiat. Sed cum in has ideas impingit *ego*, in se reflexione reddit, ac duplicem affirmationem ponit, primitivam utramque, quarum tamen altera ab altera dependet: prima affirmatio ac prima cognitio hæc est: *Ego est ego*. Etenim scientia scientiæ, ut ait ipse, seu doctrina scientiæ debet necessario à summo, per se certo principio procedere: jam vero hoc principium solum inveniri potest in aliquo judicio analytico, id est, est tantum illud in quo objectum, seu prædicatum est de essentia subjecti, seu

(1) Natus Rammdnoviis (Lusacia) 1762, mortuus Berolinii 1814.

(2) Natus Schorudorfii (Leomberg) in regno Witemberg 1775.

cum ipso identificatur, uti A=A, id est, A est A, seu A æquat A; cum vero *Ego*, tam A quod judicat=A, quam formam, juxta quam judicat, habeat in se, hinc est, quod principio A=A substitui possit hoc *ego=ego*, seu *ego* est *ego*. Hoc *ego* est *ego* purum, quod se affirmando se ipsum creat absolute, id est, sine ulla relatione ad subjectum et ad objectum; deinde per reflexionem, quæ ipsi essentialis est, se in se ipsum retorquet, ac proinde se in subjectum atque objectum reflexionis distinguit; unde *ego* per reflexionem limites sibi imponit, seque in *ego* subjectum, et in *ego* objectum dividit; hincque altera affirmatio, *ego non est ego*, se igitur limitat, quia resistentiam *non ego* à se conficti experitur. Sed brevi activitate sua, quæ est ejus esse, hos limites transgreditur, dein novos ponit limites, eosque iterum superat, et ita porro sine fine; atque hoc pacto *ego* sentit se infinitum esse. Jam *ego* tanquam *purum*, sine ulla relatione ad subjectum, et objectum, est Deus; *ego non purum*, id est, cum conscientia sui ipsius, est spiritus humanus; *non ego*, seu *ego* à se limitatum est mundus. Hoc Fichtei sistema vocari solet *autotheismus*, quia homo se ipsum Deum efficit; aut *panegoismus*, seu *egotheismus*, quia omnia esse *ego*, *ego* esse omnia statuit. Cæterum quid sibi velit non capio, nisi summum delirium, si non esset summa impietas.

76. Schelling vero ad oppugnandum idealismum, constituendumque realismum absolutum, sistema theorice invexit *identitatis*, itaque loco *ego absoluti* sufficit esse *absolutum*, docuitque, Deum esse *Absolutum*, seu *principium identitatis absolutæ*, id nempe, in quo res et ideæ, subjectum et objectum, *ego* et *non ego*, omni differentia sublata, unum idemque sunt: *absolutum* tantum existere, cæteraque esse formas, sub quibus illud *absolutum* seipsum manifestat. Scilicet, identitas absoluta, quæ Deus est, per continuam suiipsius evolutionem se sub formis *materiæ*, et *spiritus*, *objectivi* et *subjectivi*, *realis* et *idealis* mani-

festat, atque hæ formæ extra *Absolutam identitatem* phænomenice, sive *apparenter* à se distinguuntur, sed in *identitate absoluta*, in qua vere existunt, unum idemque sunt (1). Hæc est ultima Schellingii positio, nam ipse nunquam sibi constans semperque in incertum currens multifarie, multisque modis suum systema transformavit.

77. Hegelius autem hic non subsistit: namque non solum rem cogitantem, et rem cogitatam confundit, sed utramque rem cum cogitatione unum idemque esse contendit, illud pronuntiatum statuens: *quidquid est reale est ideale, et quidquid est ideale est reale;* quare ex ejus sententia, illud, quod cætera omnia complectitur, non est neque subjectum, neque objectum, verum est cogitatio, seu *Idea*, vel *Idea-ens*, quæ quidem in se est absoluta, et indeterminata, sed seipsam secundum quasdam leges, quæ ab Hegelio *momenta* appellantur, necessario evolvitur, quæque in diversis hujus suæ evolutionis gradibus, diversos constituit ac successivos existentiæ, seu entium ordines. Itaque in iis evolutionibus *Idea-ens* est in *fieri*, in quo duo illa opposita habentur, ens, scilicet, et nihil. Hinc ultima Hegelii conclusio: *rerum universitatem esse ipsum fieri*, nempe processum ideæ à statu esse puri et abstracti sese necessario evolventis, per totidem momenta ac progressus, in ideas generales, seu entia universalia, per negationes et negationes negationum, donec se totam comprehendat, ut negationem absolutam negationis Entis. Hoc Ideæ progressivo et indefinitu motu *logica, natura, spiritus* constituitur totaque humanitatis historia continetur. Idea vero, seu processus absolutus est Deus, qui, asserente Hegelio, *sine homine*, in cuius conscientia *immanenter* se revelat, *et mundo, completus non esset neque adhuc esset Deus*: quare, cum in humanitate ipse progressu indefinito se evolvat, *Deus*

(1) Cons. Bergier. Dict. Theol., art. Schelin.

(horridum dictu) est in fieri. Formula hæc est compendium hegeliani delirii. Cæterum pantheismus hujus delirii est evidens.

78. Demum in libera Academia Bruxellensi pantheismum docet quidam Belga nomine H. Ahrens, qui etsi Spinosam, Scheling, Hegelium, aliosque reprehendat pantheistas, ejusmodi tamen doctrinam transcendentali methodo offert, quæ ab iisdem oratione discedit, re autem omnino concedit. Ipse enim in opere: *Cours de philosophie, fait à Paris sous les auspices du gouvernement de 1838. volum. 2. P. 196 seqq.* ait: «Deus quatenus *spiritus* est »intellectus, sensus et voluntas: quatenus *natura* est lux »calor, attractio, etc. est et insuper, unitas et identitas, »quæ exuperant illas oppositas manifestationes, est unitas »et identitas intellectūs et lucis; Deus sine mundo non »extitit; mundus non in tempore creatus fuit, ejus enim »essentia in ipsa divina Essentia continetur..... Spiritus »et natura ejusdem sunt ordinis et speciei.... Deus non ma »gis spiritus purus, quam pura natura est, etc.» (1)

79. Postremo J. Salvador Judæus philosophus, seu incredulus in sua historia institutionum Moysis spinozismum, pantheismum transcendentalē et absolutum, sive ex Germaniæ et Angliæ philosophis, sive ex saintsimonianis, amplexus est. Incredulitati adjecit perfidiam judaicam, dum recensita paradoxa cohonestare nisus est cum doctrina Mosaica. Contendit enim Moisem docuisse, alium Deum non esse, nisi *absolutum ego* universale, autotheismum societatis, religionem politicam. (2)

— Germanici pantheismi virus quosdam quoque aliarum nationum philosophos infecit; eclecticos præsertim Galliæ, et sectam saintsimonianorum, ut supra insinuavimus.

80. In nostram Catholicam Hispaniam non defuerunt

(1) Frag. philosoph.

(2) Cons. Joann. Perron. Præl. Th. Tract. de Deo p. 2. c. 1.

insensati, quos supra indicavimus, qui pantheismum inferre conarentur, sed in casum: Omnes veri hispani obtutatis auribus, naturæ sensu impulsi una voce damnarunt, et exsibilarunt horrendum monstrum. Quid nunc in tanta tamque tristi rerum perturbatione accidat, Deus scit.

81. Non ita in Gallia, in quam opera præsertim Victoris Cousinii ē Germania pantheismus transmigravit. Hic enim eclecticorum Galliæ dux se pantheistam esse præfacte inficiatur, sed quod verbo negat, re fatetur. Revera ipse docet: «Deum esse unicum, et multiplicem, æternitatem et tempus, summum et infimum gradum entis, finitum, infinitum; simul Deum, naturam et humanitatem (1). Deum cum mundum creat non quidem ē nihilo, sed ē se ipso illum educere, ideoque creationem aliud non esse, quam evolutionem, et apparitionem Dei in mundo (2): Creationem esse necessariam, quippe quod, cum Dei sit causa absoluta, non potest non creare, hoc est, se ipsum manifestare, et cum sit causa infinita, hujusmodi manifestatio est constans et infinita, Deum idcirco necessario et semper creare (3).»

82. Ab. Lamennasius in pantheismi castra denique commigrasse compertum est, ipse enim «unicam admittit substantiam simul finitam et infinitam, docetque omnes res singulares esse totidem Dei fluxiones, quæ tres præcipuas Ejus proprietates, Intelligentiam, Sapientiam, et Amorem limitibus circumscriptas, diversa ratione exhibent (4).»

83. Verumtamen in Gallia Theoria hegeliana magis propagata est, quæque fructus, quamvis amaros, magis Gallorum palato consentaneos producit. Hi, neglectis prin-

(1) Frag. philosoph.

(2) Curs. ann. 1818.

(3) Curs. Hist. phil. lect. V. VI. X. Parisiis 1828.

(4) Esquisse d' une philosophe, Paris 1841.-1846.

cipiis Hegelii, eorumque abstractis, abstrusisque applicationibus, aut iis leviter et ambigue enuntiatis, historicas solum, et religiosas ac politicas conclusiones receperunt: fatalem nempe in humanitatis evolutione necessitatem, ejusque indefinitum progressum, quo ad suam destinacionem urgetur, nempe ad *Ideæ* absolutum complementum. Hinc illa à priori condita historia, quæ ab ipsis nuncupata fuit *inflexibilis geometria*, quæque pantheismum undique redolet, et sociales theoriæ, quibus divina omnia, humanaque jura anathemate damnantur; ac vaga illa et proteiformis vox *progressus*, quam multi in ore habent, quin tamen intelligent quid illâ significetur.

84. Ecce jam exposuimus originem, formas varias et progressus pantheismi, possibili brevitate, si plura desideratis consultite opus cl. Maret: *Ensaya sobre el pantheismo en las sociedades modernas*, Barcelona, librería religiosa (1).

85. Ex hactenus dictis evidenter colligitur, omnes circa

(1) Pantheismum, cuius brevem retulimus historiam, omni sua sorrida turpitudine exhibutum damnavit SS. D. N. Pius PP. IX in Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1863, et in Enciclica *quanta cura* 8 Decemb. 1864, in cuius adjecto syllabo §. I Prop. I damnata, habetur: Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam, ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto. Duo hic vos sedulo animadvertere vellem: 1.º Non deesse in tetricis pantheistarum lucubrationibus sacratissimum Dei Nomen, ut fucum imperitis faciant, sed qui Deus sit Deus eorum jam intelligitis. 2.º Differentiam inter bonum et malum morale, justum et injustum, verum et falsum etc. hoc pantheismi sistema penitus tollere, quod sufficeret ad eum detestandum.

pantheismum errores in eo consentire, quod omnia, quæ sunt, etsi multa et contraria videantur, unum tamen, idemque esse statuant; quod *unum*, secundum se, seu, ut unica substantia est in se, aliis videtur esse *Absolutum*, quod quatenus actu existit, omnia in se complectitur, quæcumque existunt; aliis vero est quid *impersonale* et quasi in *potentia*, quod per successivos, et indefinitos motus seipsum constituit ac perficit, sub utroque autem respectu variis dein nominibus designant. Hegel v. gr. eum appellat *ideam puram*; Schelling *identitatem absolutam*; Fichtè *ego purum*; Spinoza *infinitum*, seu substantiam infinitam; Jordanus Bruno *unum esse*; Plotinus *unitatem absolutam*; Indi *Brahma*.

86. Ex natura autem rerum, quas unicæ substantiæ modos vocant, alii eas tamquam reales, etsi à Divina substantia non distinctas, admittunt, ut H. Ahrens, Spinoza, schola Alexandrina, schola Jonica; alii vero tamquam *phænomena*, seu formas apparentes, sub quibus Absolutum seipsum manifestat, ut pantheistæ Germani, Schola eleatensis, et Indi vedanticorum systemati adicti.

87. Denique ex ratione, qua res singulares ex unica substantia emanant, alii somniantur, productionem mundi esse *quamdam necessariam emanationem transeuntem* à Divina substantia; alii vero eam productionem in perpetua, et necessaria *evolutione immanente* illius unicæ substantiæ consistere autumant.

88. Igitur pantheismus, quomodocumque modificatus, vel modificandus, hac fere formulâ exprimi potest: *Unica existit substantia infinita, quæ vel sese exerit per emanationem, vel sese evolvit per evolutionem immanentem sive realiter, sive idealiter.*

Jam nos, ut brevitati consulamus, primo pantheismi generatim inspecti abnormitatem evincemus, deinde quædam contra diversas ejus formas adnotabimus. Quatuor propositionibus nos expediemus.

89. Ast hic in antecessum ea in mentem revocare juvat, quæ in Logica de sensu intimo, deque sensibus externis diximus, atque de existentia intellectus et actuum intellectualium, eorumque realitate objectiva (1) Etenim, qui de propriâ existentiâ deque objectivo valore actuum intellectualium, atque de corporum existentia et de variis eorumdem successionibus et mutationibus dubitet, hic non pantheismum profitetur, sed purum scepticismum; imo hic non philosophus, non homo, sed quoddam indefinibile animal erit.

90. PROPOSITIO I.^a *Pantheismus est systema, quod cum experientia tum interna, tum externa pugnat, est absurdum in se, et quam quod maxime perniciosum.*

91. *Prob. 1 pars. Pugnat cum experientia interna.* Ac primo: ex interna experientia nihil certius est, quam nostra personalitas; nempe quod subjectum cogitans sit inter multa unum in se, ab omni alio divisum, et in se totum, præditum conscientiâ adeo sibi propria, ut alteri communicari nequeat, quin destruatur; siquidem si meæ cogitationes, et affectiones, quasi facta conscientiæ aliorum, admittantur, mea conscientia evanescit. Atqui pantheismus negat unius subjecti ab alio distinctionem, facitque subjectum cogitans et propria conscientiâ præditum, non personale, sed veluti partem integrantem, aut accidens magni totius. Ergo pantheismus pugnat cum experientia interna.

2. Præterea, experimur in nobis amoris, grati animi, aversionis, timoris, reverentiæ, aliasque hujusmodi affectiones, quæ ad objectum à nobis distinctum referuntur. Atqui hæc omnia pantheismus inexplicabilia facit, atque adeo absurda, in eo, quod omnem subjecti à objecto dis-

(1) Log. Lect. 38.^a—41.^a—42.^a—35.^a—36.^a

tinctionem perimit, et in absolutæ identitatis barathro omnia commiscet atque confundit. Ergo etc.

3. Denique, experimur nos gaudere arbitrii libertate, nempe voluntatem nostram non necessario ad actum determinari, sed ita esse sui juris, et ad utrumlibet oppositorum indifferentem, ut ab ipsa solummodo pendeat ad unam potius, quam ad alteram partem sese inflectere. Atqui pantheistæ libertatem hujusmodi diserte negant, ac negant vi suorum principiorum; siquidem si unicum est ens, quod necessitate quadam ineluctabili se explicat, seque modificat, et omnia, quæ sunt, nihil aliud sunt, quam harum evolutionum, atque modificationum *momenta, partes, phænomena*, nihil erit possibile, quod necessitati, atque inexorabili fato non sit subjectum.

Ergo pantheismus evidenter repugnat internæ experientiæ.

92. *Prob. 2. pars. Pugnat cum externa experientia.* Et re quidem vera, experientia externa ubique nobis exhibet multiplicitatem et distinctionem. Exhibit 1.^o in ipso sensationis actu, quo evidenter experimur subjectum patiens discretum ab objecto agente in nos, sine nobis et contra nos sæpe agente. Exhibit 2.^o immediate multiplicatatem inter ipsa objecta: etenim ita objecta exhibit, ut unumquodque certæ figuræ limitibus contineatur; insuper alterum ab altero, tam quoad essentiam, quam quoad existentiam, se probet independens, et unum ab altero appareat plane divisum; nec raro unum alteri oppositum. In ipsa 3.^o corporum extensione exhibit innumeratas partes, quæ licet conjunctæ simul, actu tamen distinctæ sunt et separabiles. Exhibit propterea in unoquoque corpore entium multitudinem, quin obstet quædam inter ea logica unitas.

93. Unde sic argumentatur: Aut pantheista realitatem mundi exterioris admittit, aut non. Si non admittit contradicit experientiæ, quia negat id, quod experientia evidenter manifestat, hoc est, realitatem mundi, et jam idea-

lismum profitetur (1). Si admitit, iterum experientiæ contradicit, quia mundi realitatem fingit plane contrariam illi, quam experientia exhibet. Ergo pantheista vel omni certitudine abjecta purum profitetur Scepticismum; vel admittere cogitur alia entia à nobis et à nostris affectionibus distincta, eaque substantialia; siquidem illud quod in alio est, sive non est substantia, nonnisi per illud, in quo est nempe per substantiam quippiam agere potest.

94. *Prob. 3.^a pars. Pantheismi systema est absurdum in se.* Illud est absurdum, quod contradictoriis conflatur. Atqui sistema pantheismi contradictoriis conflatur. Ergo etc.

Prob. min., ad quod ex multis, quibus demonstrari potest, pauca seligemus.

Ac primo, absurda est ipsa pantheistarum methodus; nam ipsi omnia à priori explicare conantur, quod fieri non potest, quin humanus spiritus propria personalitate, suique ipsius conscientiâ, atque externarum objectorum experientiâ seipsum exuat et spoliat, quod quidem simpliciter absurdum est prægrande. Etenim eo ipso quod spiritus hoc tentare conetur, supponit necessario et suipius conscientiam, et externorum et objectorum experientiam; et si fieri posset, ut id assequeretur, jam exinde impossibilis omnino esset ulterior cognitio; ignorata enim propria existentia, quid est, quod affirmari possit?

2.^a Si absurda est pantheistarum methodus, non minus, imo absurdissimum est eorum principium. Illa unitas et identitas substancialiæ, quam ipsi somniantur, necessario implicat ac involvit unitatem radicalem et identitatem attributorum. Igitur si est necessaria, nihil erit contingens; si est æterna, nihil erit mutabile; si est infinita, nihil erit finitum; si est indivisibilis, nihil erit divisibile; si est

(1) Vid. Log. l. cit.

extensa, nihil erit cogitans etc.; ratio evidens est; hæc enim omnia inter se pugnant, unum est alterius negatio. Jam vero esse entia contingentia nemo dubitat, ideoque et esse mutabilia, finita, etc.; talis est mundus, in quo continuæ sunt mutationes, et cujus non existentia non repugnat; tale est ipsum *ego*, ut quotidiana experientia meridiana luce clarius demonstrat; sensus enim intimus evidenter testatur, nos aliquando certitudine potiri, aliquando dubitare, circa plurima errare, multa penitus ignorare. Aliunde absolute necesse est, ut sit aliquid ens à se, necessarium, independens, infinitum, quod sit primum principium, atque ultima ratio sufficiens omnium contingentium; talis est Deus, quem nos agnoscimus et adoramus; non vero illum, quem pantheistæ admittunt. Ergo vel nos, cæteraque entia contingentia *per se* et *in se* sumus, id est, sumus substantiæ realiter à Deo distinctæ, vel habebimus Deum contingens simul et necessarium, finitum et infinitum, extensem, divisibile et cogitantem; quæ omnia cumulus inexahustus absurdorum est.

Placeat, prositque pantheistis Deus-mundus¹, et Deus-homo ægrotus in ægroto, pauper in paupere, demens in demente, fur in fure, avarus in avaro, turpis in turpe, crudelis in crudele. Nos Deum agnoscimus et adoramus ab hac rerum contingentium universitate realiter distinctum, ens à se, æternum, infinitum, substantiarum omnium contingentium creatorem.

3.^o Praeterea, secundum pantheismi theoriam, omnes homines sunt unum intelligens; et quoniam voluntas intellectum consequitur, omnes homines sunt unum volens; hinc unum dumtaxat est ens intellectu, et voluntate praeditum, omnesque intellecções, et volitiones humanæ ad hoc unum pertinent (1). Atqui intellecções, et volitiones hominum sunt diversæ; siquidem alter intelligit, quæ non

(1) Cons. S. Thom. *De unit. intellect.*; et *Sum. Th.* 1. p. q. 75. a. 2.

ego; ego intelligo, quæ non ipse; alter vult, quæ non ego, ego volo, quæ alter non vult; quæ mihi grata, ipsi ingrata sunt; absurdum autem prægrande est, nullam esse *inter homines differentiam* in iis, secundum quæ homines diversificantur ad invicem. Ergo etc.

4.^o Denique, si omnia sunt unum, vel sunt unum genere, vel specie, vel numero. Sed si sunt unum genere, jam habebimus plures species, quæ distinguuntur per oppositas differentias, quæ species in uno esse non possunt. Si sunt unum specie; 1.^o erunt etiam unum genere, quia de minori ad majus hic valet illatio, habebunt igitur simul differentias specificas, et non habebunt; 2.^o erunt in una specie notæ essentiales differentes; nam lapis v. gr., planta, brutum, homo notas essentiales differentes habent et oppositas; sed supponere in una eademque specie notas differentes, oppositas et essentiales plane absurdum magnum est; ergo non erunt unum specie. Sed quamvis dicantur esse unum genere, vel specie; jam reipsa non essent unum, sed tantum ratione; etenim universalia non existunt, nisi tantum in mente, ut ostensum est (1). Igitur si omnia sunt unum, sunt necessario unum numero, seu unicum individuum. Jam vero si ita est, non modo omnes homines, sed universæ bestiæ agri, et volucres cœli, et pisces maris, et plantæ, et ligna, et lapides, et astra, uno verbo tota natura unicum esset individuum, quo dici nihil absurdius potest. Si vero individua sunt, ut pantheistæ somniantur, seducti fallaciâ transitûs à statu ideali ad statum reale, modificationes unius substantiæ, præterquamquod, ut ex dictis sufficienter patet, absurdum est, risum movent; fac enim, unum hominem alterum interficere, jam non una substantia alteram substantiam, sed una modificatio alteram modificationem interficeret. Fac insuper, duos exer-

(1) Logi. Appendix de object. valore idearum universalium.

citus manus conserere, totidem erunt modificationes dimicantes, quot milites; substantia autem erit una, eademque secumipsa pugnans, ac dimicans; spectatum admisi risum teneatis, amici? Vereor, ajebat Lactantius (1), ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda.

95. Nos non latet, pantheistas unitatem Entis cum varietate rerum, nobis in hoc mundo occurrentium, componere volentes autumasse, illud unicum Ens esse indeterminatum, et illimitatum, atque seipsum determinare, cum in qualibet formarum, sub quibus appareret, seipsum quodammodo negat, limitesque sibi imponit.

96. At contra, unicum Ens pantheistarum vel tamquam maxime *abstractum*, seu *ideale*, vel tamquam maxime *concretum*, nempe *realissimum* intelligitur. Si primo modo accipiatur, ad ejus conceptum, ut in *Ontologia* diximus (2), omnes alii conceptus reducuntur; ex quo consequitur, ut in unaquaque formarum, per quas unicum ens seipsum determinare pantheistæ autumant, ratio entis esse intelligatur. Atqui, si in illis formis ratio entis continetur, repugnat unamquamque ipsarum esse negationem entis. Ergo repugnat Ens maxime abstractum, seu *ideale* seipsum sub qualibet forma negare, ac limitare. Accedit ad hæc, quod in Ente, prout ens est, nulla negatio, aut privatio esse, et cogitari potest, quia negatio, et privatio sunt *non-ens*, seu *nihil*.

Sin autem unicum ens pantheistarum altero modo accipiatur, certe intelligi nequit, quomodo illud, quod *omne esse* actu habet, in diversis formis, sub quibus se evolvit, sibi ipsi limites ponat, seque ipsum quodammodo neget. Nam, si in diversis formis, sub quibus appareret, sibi limites poneret, esset illimitatum, quia in se est *omne esse*, simulque limitatum, quia formæ, sub quibus se evolvit,

(1) Lib. 3. de ira Dei, c. 10.

(2) Cons. Ont. Disput. 1.^a et 2.^a

ipsum limitant. Atqui illimitatum, et limitatum in eodem subiecto se invicem excludunt; quia illud, quod unum eorum ponit, alterum tollit. Ergo si unicum Ens in diversis formis, sub quibus se manifestat, vel evolvit, se ipsum negaret, in singulis ipsis se perimeret (1). Ergo quocumque se volvant pantheistæ in perpetuas contradictiones, et absurdâ incidentur.

97. Neque dicant, unum, eumdemque hominem posse varios habere modos, et hinc capite dolere, pectore bene valere, unam manum sursum, alteram deorsum extendere, et ita porro.

Nam disparitas est magna. Homo enim est substantia composita, adeoque aggregatum multarum substantiarum. Jam vero substantiæ variæ, etiamsi nexu physico sibi mutuo copulatæ sint, possunt tamen singulæ suos seorsim modos habere etiam oppositos modis aliarum; quod vero in se repugnat est, ut una eademque substantia, ut *sic* spectata, contradictorios in se modos suscipiat.

98. *Prob. 4 pars.* *Systema pantheistarum est quam quod maxime perniciosum.* Ac primo pantheismus recta ducit ad *rationalismum theologicum*, id est, non admittit nisi ordinem verorum intelligibilium, cum omnia, quæ sunt, juxta ipsum, non sint nisi aut *formæ*, aut *modi*, aut *manifestationes*, sive *ideæ* unius Entis; negat autem veritates superintelligibiles, seu ordinis supernaturalis, ac proinde impossibilem facit religionem revelatam: consequens, quod ipsi ultro admittunt.

99. 2.^o Quæcumque ab atheismo, eadem et à pantheismo mala, et absurdâ consequuntur. Pantheismus enim nihil aliud est, quam larvatus atheismus. Et revera, idem est Deum negare, ac illum veluti quiddam ex oppositis qualitatibus constans, aut quiddam abstractum, quod ex necessitate se evolvit, et cuius maxima manifestatio, ac

(1) Cons. Caj. Sans., *Comp. phil. Christ. Theol. nat. c. 6. art. 2.*

perfectio sit humanitas, admittere. Quam reverentiam Deus iste sibi vindicabit? quem amorem? Eritne possibilis religio? Etenim, ut ait S. P. Augustinus (1): *Si unius, ejusdemque substantiae Creator, et creatura esset, non reprehenderentur, qui servierunt creaturæ potius, quam Creatori, quoniam cuicunque servisset, ab eadem natura, atque substantia non recessissent.*

3.^o Imo multo magis lethale est pantheismi virus, quam atheismi. Atheismus enim nec humanam libertatem tollit, nec intrinsecum discriminem inter bonum et malum, saltem funditus, extirpat. Sed pantheismus cum omnia ferreæ necessitati et ineluctabili fato subjiciat, nullum libertati locum reliquit. Ex quo nulla amplius inter virtutem et vitium distinctio esse potest, nullum amplius officium, nullum jus, ac propterea nulla moralis lex.

4.^o Pantheistæ animarum immortalitatem aut aperte inficiantur, aut sermone tantum retinent, re autem tollunt. Et re vera, alii animas ita ab unica substantia absortas iri arbitrantur, ut personalem et individuam existentiam prorsus amittant, uti præ cæteris Schellingiani, et Hegeliani; alii fatalem, et numquam desitaram in varias formas transmutationum seriem singulis hominibus assignant, uti Sant-Simoniani, Krausiani, et Fourieristæ: omnes tamen in eo convenient, quod omnes homines sive boni, sive mali eidem fato subjiciantur.

5.^o Denique, ne cuncta persequamur, tetterimum hoc monstrum omne discriminem inter verum et falsum subruit, ens cum non ente identificat, regnum contradictionis constituit. Hæc enim, ut patet ex hegelianis theoriis, est ultima pantheismi expressio.

Ex hoc sponte sua consequitur, in ordine theoretico idealismus, et scepticismus universalis, et omnis erroneæ doctrinæ æque ac omnis veritatis approbatio,

(1) Contra Secundinum Manichæum, cap. 7.

In ordine autem practico, pessimus, turpisque procreatur *egoismus*, ac suimet adoratio, qua homo se unice profine sibi constituens, humanam ipsam societatem, quam aliunde impossibilem reddit, si opus fuerit, suæ vel utilitati, vel voluptati immolare non vereatur. Quod quidem ipsos impudenter, et sub progressū specie facere, historia luculenter docet.

100. Hinc est, cur pantheistæ recentiores pantheismi notam, velut pudoris, atque infamiae plenam, à se omni studio avertere satagant, et vel pro malitia, seu potius pro crassa ignorantia, pantheismi consecutariorum auctores esse negant. Satus, tutiusque foret, ut suam ignorantiam confitentes pantheismi principia abjicerent.

Solvuntur difficultates.

Quemadmodum pantheismum generatim inspectum refutavimus, ita nunc præcipua pantheistarum objecta, quibus universalem identitatem statuere conantur, dissolvemus.

101. *Opp. I.* Ens infinitum, quod est Deus, omnem continere debet realitatem. Ergo nulla est realitas extra Deum. Ergo nullum ens præter Deum possibile est.

102. *Resp. Dist. ant.* Deus continere debet omnem realitatem, id est, omne id quod existit, *nego.*; id est, omnem perfectionem possibilem, *subdist.*, ut talis perfectio est in rebus existentibus, aut esse potest in rebus possibilibus, *nego*; modo eminentiori, *conc.*.

Ad primum consequens: *Ergo nulla realitas extra Deum: Disting. eodem modo;* id est, nulla existentia; *nego*; id est, nulla perfectio realis, aut possibilis, *subd.*; quæ modo eminentiori non contineatur in Deo, *conc.*; quæ contineatur modo eminentiori in Deo, non est possibilis extra Deum, *nego*. Et *nego* alterum consequens.

Inst. 1. Ens infinitum est ipsum *esse*. Atqui *esse* complectitur omnia quæ sunt. Ergo Deus complectitur omnia quæ sunt.

Resp. Dist. maj. Ens infinitum est ipsum *esse*, quatenus 1.^o non habet *esse* participatum, sed est suum esse; et 2.^o in ejus essentia nulla est imperfectio, sed omnem puræ perfectionis realitatem, qua essendi actus nobilitari potest, natura sua ipse complectitur, *conc.*; quatenus sit *esse formale* rerum omnium, *nego*.

Contradist min. *Esse* proprium Dei complectitur omnia quæ sunt, *nego*, vel *subcontradist*; complectitur modo eminentiori, *conc.*; complectitur formaliter, *nego*. *Esse* abstractum et commune complectitur omnia quæ sunt, *subdist.*; complectitur unitate quadam logica, *conc.*; complectitur unitate reali, *nego*. Et *nego consequens*.

Inst. 2. Idea entis in genere infinitatem quamdam præsefert, et necessitatem. Ergo objectum ideæ entis in genere est infinitum et necessarium. Sed hoc est Deus. Ergo Deus est Ens in genere indeterminatum.

Resp. Dist. primam partem antec. Idea entis in genere præsefert infinitatem quamdam, id est, indeterminationem maximam quoad essentiæ rationem, et indefinitam extensionem in potentia possibilium, *conc.*; infinitatem actualem, quæ summa perfectio est, *nego*.

Dist. etiam secundam partem. Præsefert necessitatem quamdam; id est, necessario hæc idea oritur in mente, *conc.*; habet, seu præsefert necessitatem objectivam, *subdist.*; quatenus eadem sit ac idea entis necessarii, *nego*; quatenus cognoscimus aliquod ens necessario esse admittendum, iterum *subdist.*; esse admittendum necessitate consequente, *conc.*; antecedente, *nego*. Videlicet hoc ipso quod ens percipio, est consequenter admittendum et ens perceptum, et ens percipiens. Ratiocinando vero deprehendimus, si aliquid nunc est, aliquid semper fuisse, ac deinde ad Ens necessarium ascendimus; ut in Theologia videbimus. Et

sub datis distinctionibus, *nego* primum consequens *min.* et *2.^m conseq.*

Inst. 3.^o Si Deus est ens determinatum, est quoque in eo aliqua negatio. Sed hæc in ente infinito esse nequit. Ergo etc.

Resp. Dist. maj. Si Deus est ens determinatum, est in eo aliqua negatio: aliqua negatio, id est, ejus essentia est hæc talis et non alia, ac propterea Deus est hoc ens *personale* et non *omnia entia*, *conc.*; est in eo aliqua negatio perfectionis, *nego*.

Inst. 4.^o Ens finitum est non-ens. Nam limes nihil est. Ergo non sunt alia entia præter infinitum.

Resp. Nego. Quantum ad præsentem spectat quæstionem. Dici solent entia finita non-entia, non quia non sint quid reale, sed quia non sunt suum esse, ex se nihil sunt, indigentque causa, à qua esse participatum habent.

Ad rat. add. *Dist.* Limes nihil est in obliquo, *conc.*; nihil est in recto, *nego*. Limes supponit realitatem, cuius sit limes, id est, realitatem cum negatione ulterioris realitatis.

Inst. 5.^o Denique, Deus dicitur *esse omnium*, et *omnia dicuntur esse in Deo*, et *esse participationes Divinæ Essentiæ*. Atqui hæc loquendi rationes significant, res extra Deum ab ipso Deo re ipsa non distingui. Ergo etc.

Resp. Dist. 1.^m part. maj. Deus dicitur *esse omnium*, quatenus omnium perfectiones eminenter continet, et est omnium causa effectiva, exemplaris et finalis, *conc.*; est esse formale omnium, *nego* (102-1.^o). *Dist.* etiam *2.^m part.* omnia dicuntur *participationes Divinæ Substantiæ*; id est, quatenus omnia à Deo creantur ex nihilo in similitudinem divinarum perfectionum, et divina virtute continentur et conservantur, ab eoque cognoscuntur, *conc.*; quatenus sint emanationes per eductionem, aut evolutionem divinæ *Essentiæ*, *nego*. *Nego min. et consq.*

103. Sane; 1.^o *Deitas*, ait S. Thomas (1) dicitur esse omnium effective, et exemplariter, non autem per essentiam. 2.^o *Creaturæ*, prosequitur ipse (2), in Deo esse dicuntur; uno modo, in quantum continentur et conservantur virtute divina, sicut dicimus ea esse in nobis, quæ sunt in nostra potestate: et sic creaturæ dicuntur esse in Deo, etiam prout sunt in propriis naturis: et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis: In ipso vivimus, movemur, et sumus: quia etiam nostrum vivere, et nostrum esse, et nostrum moveri causatur a Deo; Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut cognoscente: et sic sunt in Deo per proprias rationis (intelligibiles), quæ non sunt aliud in Deo ab Essentia Divina. 3.^o Creaturæ non dicuntur Divinam Bonitatem participare, quasi partem Essentiæ suæ, sed quia similitudine Divinæ Bonitatis in esse suo constituuntur secundum quam non perfecte Divinam Bonitatem imitantur, sed ex parte (3).

104. *Opp.* II. Sientia finita præter Infinitum existunt, existimandum erit, ea fuisse ab infinito producta. Sed productio hæc admitti non potest. Ergo etc.

105. *Resp.* Nego min.

Prob. min. Vel entia finita continebantur jam in Ente infinito, vel non. Si primum, non fuere producta, sed educta; ideoque ad Infiniti substantiam pertinent. Si alterum dicitur, jam productio omnis repugnat, quia *ex nihilo nihil fit*. Ergo etc.

Hoc sophisma antiquorum pantheistarum, præsertim Eleatensium, quamvis millies disjectum hodierni pantheistæ non verentur in medium iterum proferre.

Resp. Dist. sensum disjunctivæ: Entia finita continebantur

(1) Sum. Th. 1. p. q. 3. a. 8. ad 1.

(2) Id. q. 18. a 4. ad 1.; Cons. S. P. Aug., Solil., lib. 1. cap. 1. a num. 2.

(3) Cons. S. Thom. Sum. Cont. Gent. Lib. 1. cap. 75.

eminenter in *Essentia* divina tanquam in *Exemplari* originali et radicali, in *divino Intellectu* tamquam in *exemplari* formalis secundum ideas ipsorum archetypas et in *Potentia* divina virtualiter; hoc sensu, *conc.*, ipsa contineri in *Ente Infinito*. *Continebantur* vel realiter, vel formaliter, vel alio quocumque sensu, *nego ant.*

Ad primi disjunctivæ membra consequens. *Dist.* Si continebantur modo concesso jam non fuerunt producta, sed educta, *nego*; alio sensu, *trans.*, vel *conc.*.

Ad consequens alterius membra, *Nego*. Ad rationem add., *Dist.* Ex nihilo, tamquam ex materia, aut subjecto ex quo nihil fit, *conc.*, ex nihilo tanquam termino à quo, nihil fit, *subdist.*; per potentiam finitam, *conc.*; per potentiam infinitam, *nego*. De *Creatione* alibi agemus.

Inst. 1.º Si præter Deum aliæ admitterentur substancialiæ, ideo esset, quia *Divina Substantia* non omnes existendi modos præseferret, quod est absurdum, cum *Divina Substantia*, præstantissima sit, seu omnes perfectiones in se contineat.

Resp. Si nec formaliter, nec eminenter contineret omnium perfectiones, esset absurdum, *conc.*; si formaliter tantum, *nego*.

Inst. 2.º Si alia substantia præter infinitam existit, jam infinita ab alia diversa circumscriberetur, quod est absurdum.

Resp. Nego. Tunc enim circumscriberetur, si cum *Substantia Divina* alia ejusdem naturæ coëxisteret independens à Deo, non autem si diversæ naturæ sit et à Deo omnino pendeat tum in *existentia*, tum in *omnibus suis attributis* et *perfectionibus*, ac à Deo ipso subsistat.

Inst. 3.º *Divina Substantia* deberet ab alia quacumque differre: sed in *Divina Substantia*, quæ simplicissima est, nulla ejusmodi differentia concipi potest, per quam ab alia realiter distinguatur. Ergo etc.

Resp. Conc. maj. nego min. Etenim differunt profecto à

Deo creaturæ omnes, eo quod limitatæ, contingentes, circumscriptæ et ab alio sint, Deus autem simplicissima infinita Essentia est, et à se existens.

106. *Opp. III.* Substantia infinita cum substantiis finitis conjuncta est quidquam majus unicâ substantiâ infinita. Atqui hoc est absurdum; siquidem illud, quo quidquam majus esse potest, non est infinitum. Ergo absurdum est esse substantias finitas præter infinitam.

107. *Resp. Dist. maj.* Est quidquam majus quoad numerum, *trans.*, vel *conc.*; quidquam majus quoad perfectionem, *nego maj.* *Nego min. et conseq.* «Finitum infinito additum, ait S. Thomas (1), non facit majus, sed facit plus, quia infinitum et finitum sunt duo.»

108. Sane cum Ens infinitum unum sit, additis entibus finitis, ex his et Ente infinito fit numerus unitate majus. Sed quod Ens infinitum una cum finitis numerum constituat, nihil ejus perfectioni derogat, si complexio illa ex infinito et finitis non constituat aliquid infinito majus, nec quoad *numerum partialium perfectionum*, nec quoad *intensionem* perfectionis totalis. Atqui neutrum contingit.

Nam quoad primum, id est, quoad numerum perfectionum, infinitum omnes finitorum entium perfectiones perfectissime in se uno continet; simplices perfectiones formaliter, mixtas vero eminenter, omnesque actu perfectissimo et infinito. Ergo complexio illa nullam exhibet perfectionem, quæ jam in solo infinito cumulatissime non sit.

Quoad alterum vero spectat, id est, intensionem perfectionis, sufficit illud animadvertere: id solum in complexione intensius, quam in singulis partibus reperiri, in quo singula convenient: quemadmodum v. gr. si nummo aureo duos asses addiderimus, major est in hac summa valor, quam in solo aureo: cum vero res additæ in aliquo

(1) In lib. 4. sent. Dist. 49. q. 1. a. 4. sol. 1. ad. 4.

essentialiter discrepant, id, in quo discrepant, non est magis intensem in collectione, quam in partibus; ut si homo sapiens nummum aureum inveniat, non idcirco haec complexio majorem exhibet sapientiam. Jam vero Deus et res finitae in nulla prorsus perfectione univoce conveniunt. Ergo complexio ex Deo et rebus finitis perfectionem intensiorem non exhibet, sed duas perfectiones omnino diversas (1).

109. Haec sunt praecipuae pantheistarum argutiæ omnibus communes. Quantumvis pantheismus, sub quacumque forma se prodat, ex jam dictis sufficienter explosus, et exsibilatus sit, nonnulla tamen speciatim adnotabimus præsertim adversus *evolutionem* sive realem spinosianam, sive idealem Germanorum.

Quoniam vero haec disputatio nimis jam protracta est alteram apponamus.

DISPUTATIO 5.^a—QUÆDAM ADVERSUS PANTHEISMI DETERMINATAS FORMAS ADNOTANTUR.

110. Prop. II.^a *Emanatio transiens est absurdæ, et repugnans.*

Prob 1.^a Nam juxta systema emanationis transeuntis natura (*spiritus et materia*) existeret; sed, utpote educta ex ipso *Esse* divino, ejusdem cum hoc esset essentiæ: atqui hoc est absurdum, et repugnas. Nam

Esse divinum, utpote infinitum, est necessario simplissimum, ut in Theologia videbimus; atqui ex simplici nec simplex, nec à fortiori compositum educi, seu emanare potest. Ergo etc.

2.^a Quod emanat ex substantia alterius, est cum hoc ejusdem essentiæ; atqui universum hoc, omnesque ejus

(1) Cons. S. P. Aug., Trat. in Joan. tract. 13. n. 5.; S. Tho., Sum. th. 1. p. q. 14. a. 6.: qq. Disput. De Malo q. 5. a. 1. ad. 4.

partes sunt contingentes, mutabiles et finitæ; *Esse autem divinum, utpote á se et necessarium est infinitum et immutabile;* ergo absurdum est, universum hoc ex Substantia divina emanasse.

111. PROPOSITIO III. *Baruh Spinosæ pantheisticum systema est falsum in se et contradictorium, nititurque assertionibus eminenter sophisticis.*

Prob. 1.^a pars: est falsum in se. Nam juxta hoc sistema unica existit substantia in mundo. Atqui ex ipsis Spinosæ definitionibus, quamquam dolose constructis, facile demonstratur esse in mundo plures substantias. Ergo falsum est in se.

Minor, omissis pluribus, sic demonstratur. 1.^o Omne id quod in se est, et non in alio; omne id, cuius conceptus non formatur per conceptum alterius est, etiam juxta Spinosam, vere substantia. Atqui hoc Collegium v. gr. est in se, et non in motoria machina, quæ viam percurrit, nec in aliquo alio; et similiter mensa ista est in se, et non in equo, nec in aliquo alio, etc. et vice versa; itemque hujus Collegii, aut hujus mensæ, aut equi conceptus non formantur per alterius rei conceptus, sed per notas ab ipsismet exhibitas. Ergo hoc Collegium est substantia, illa machina est substantia, haec mensa, ille equus, etc. sunt substantiæ. Ita cætera omnia, quæ ad substantiæ categoriam revocantur.

2.^o Duo modi inter se oppositi in eodem subjecto simul esse nequeunt; v. gr. figura quadrata et rotunda, motus et quies, et similia. Ergo duo modi oppositi duo distincta subjecta requirunt. Modi autem juxta Spinosam sunt substantiæ affectiones. Ergo subjectum modorum est substantia. Duo ergo subjecta, quæ oppositos habeant modos, v. gr. frustum ceræ quadratum, et alterum rotundum, erunt duæ substantiæ. Ergo quot perspicimus modos inter se oppositos, tot certe sunt distinctæ substantiæ. Ergo etc.

112. *Prob. 2.^a pars: est in se contradictorium.* Ete-

nim juxta Spinosam non est nisi una substantia infinita, in qua tamen inesse fatetur plura attributa infinita, inter quæ recenset cogitationem et extensionem. Sic porro definit ipse attributum (1): *Attributum per se concipi debet*, seu ut clarius mentem suam aperit alio in loco (2): *Notandum*, ait, *mē per attributum intelligere omne id, quod concipitur per se et in se, adeo ut ipsius conceptus non involvat conceptum alterius rei*; sed ex ejus definitione III., quam supra attulimus (72), eadem est notio substantiæ ac attributorum ejusdem substantiæ; ergo cum, ipso fatente, plura dentur attributa, hoc ipso plures dantur substantiæ, ideoque, quod consequens est, substantia una est et multiplex, quod involvit contradictionem (3).

113. Sed insuper notandum est illud magnum absurdum Spinosæ ajentis, *cogitationem* et *extensionem* unius ejusdemque substantiæ attributa esse. Nam cogitandi actus est essentialiter indivisibilis. Ergo et substantia, quæ tale attributum habet, indivisibilis sit necesse est. Secus divisa substantia, indivisible quoque attributum in pertes scindi oporteret. Præterea, attributum omne non est aliquid à subjecto, in quo est, distinctum, sed modum tantum essendi ejusdem subjecti, nempe subjectum ipsum, quatenus sic est. Ergo si cogitatio est indivisibilis, nequit esse talis, nisi quia est in subjecto, quod est indivisibile.

Ast si hoc subjectum ponatur simul naturâ suâ extensem, est hoc ipso divisibile. Extensio enim certe divisibilis est. Ergo divisa extensione, ejus quoque subjectum dividatur necesse est. Ergo, cum Spinoza dicit, unam eamdemque substantiam et cogitationis et extensionis esse subjectum, eam dicit indivisibilem simul et divisibilem esse.

(1) Ethica etc. prop. X.

(2) In epist. 2. et 4. ad Oldenburgum.

(3) Perrone l. c. Cons. Salv. Tong., Inst. phil. tom. 3. Theol. nat. Lib. 2. c. 2. art. 4. et 5.

Aliud item permaximum absurdum est ponere hanc mundi substantiam infinitam esse: 1.^o propter continuas *successiones*: 2.^o propter *extensionem* infinitam; repugnat enim extensum infinitum. Item notate pessima consecutaria supra relata. (98 seqs.)

114. *Prob.* 3.^a *pars: ntitur assertionibus eminenter sophisticis.* Hæc tertia propositionis pars evidenter demonstrata manebit vel paulisper attendantibus ad dolosam Spinosæ argumentationem. Nam ejus argumentatio plena dolis, sed dolis minime acutis, huic substantiæ definitioni innititur: *per substantiam intelligo*, ita ipse (loco cit.), *id quod in se est, et per se concipitur, hoc est, id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat* (in III. definit.)

115. Argumentatio vero ipsa huc redit.

1.^o Unica existit, eaque necessaria substantia. Nam ad naturam substantiæ pertinet existere.

2.^o *Prob.* Una substantia non potest produci ab alia. *Erit itaque causa sui; sive ad ejus naturam pertinet existere.* (prop. VI.)

3.^o *Prob. ant.* duobus modis.

a) Si una substantia posset produci ab alia, ejus cognitio penderet à cognitione alterius. *Nam effectus pendet à cognitione causæ, et eamdem involvit.* (In IV. axiomate). Sed id, cuius cognitio pendet à cognitione alterius, non est substantia: patet ex substantiæ definitione. Ergo etc.

b) Res, quæ nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest. Sed duæ substantiæ diversa attributa habentes nihil inter se commune habent. Ergo etc.

4.^o Non possunt autem dari duæ, aut plures substantiæ ejusdem attributi. Nam distinguerentur solum ex affectionibus; in se ergo consideratæ non distinguerentur, nec essent plures.

116. Jam tota hæc indigesta machinatio corruet, si in

fallacissima illa substantiæ definitione miseras æquivocationes, in ea studiose congestas, distinctione aliqua retexamus.

Substantia est id, quod in se est. Nempe quod per se est, et non in alio, conc. In hoc sensu omnes accipiunt illud per se et in se, quia substantia non indiget subjecto cui inhæreat, ut distinguatur ab accidentibus et modificationibus, quorum proprium est inhærere subjecto, ut rotunditas v. gr. in cera est.

Quod à se, et non ab alio, id est, non à prima causa producente, subdist.; substantia infinita, conc.; substantia in genere, nego. Tamen Spinosa cum dicit in se, intelligit à se: sic arbitrariam statuit definitionem, et jam ab ipso exordio disputationis gratis asserit, quod probare intendit.

Hoc est, cuius conceptus non indiget conceptu alterius, à quo formari debeat. Vel Spinosa accipit conceptum illum absolute, vel relative; si accipit absolute, ita ut conceptus unius substantiæ formaliter non includat conceptum alterius rei, ex. gr. ut conceptus horologii formaliter haberi possit absque conceptu artificis, trans, vel conc.; si vero vult excludere conceptum relativum ad aliud; si est tamquam subjectum, cui substantia inhæreat, conc.; si excludit conceptum alterius rei, tamquam à causa, à qua dependeat, v. gr. conceptum relativum ad artificem, à quo elaboratum est horologium, nego: et tamen hoc posteriori sensu illum accipit Spinosa. Id ipsum dicatur de aliis ejus axiomatibus et definitionibus, quæ perpetua æquivocatione laborant (1).

117. Nunc ad argumenta.

Ad 1. *Nego.* Ad prob. *Dist.* Ad naturam substantiæ infinitæ pertinet existere, quia suum esse est sua exis-

(1) Cons. Gerdil, Dissertazione dell' Esistenza di Dio, è dell' immortalità dell' anima. tom. II. §. 23.

tentia, *conc.*, ad naturam substantiae in genere, *nego*. Nulli enim substantiae finitae est essentialis existentia.

Ad 2. *Nego*. Animadvertiscet absurdam synonymiam: erit causa sui; sive ad ejus naturam pertinet existere. Quid unum habet cum altero? Ad essentiam Dei pertinet existere, seu ejus existentia est sua ipsa essentia, quin sit causa sui.

Ad 3. *quoad 1. prob.* Si una substantia posset produci ab alia, ejus cognitio penderet a cognitione alterius, *dist.*, cognitione ejus absoluta, nempe quatenus est aliqua substantia, penderet a cognitione alterius, *nego*; cognitione ejus relativa, nempe quatenus est effectus, penderet a cognitione alterius, *subdist.*, alterius quod ipsi esset subjectum inhaesione, *nego*; alterius quod sit ipsius causa, iterum *subdist.*; ipsius causa vaga et indeterminata, *trans.*; ipsius causa determinata et peculiaris ita, ut idea effectus ideam suae ipsius causae peculiaris includat, *nego*.

Ad *ratio add. Dist.* Effectus involvit cognitionem suae causae, si consideretur *formaliter* secundum rationem effectus, *conc.*; si vero *materialiter*, et ut in se est, *nego*. Quis erit potis nobis persuadere, nos nec internae experientiae phænomena, nec externae percipere, quin percipiamus eorum causas? Quam gratuita et falsa est positio Spinosiana!

Contradist. min. Id, cuius cognitione pendet a cognitione alterius, non est substantia, si nempe includat cognitionem alterius, quod sit ipsi subjectum inhaesione, *conc.*; si includat cognitionem alterius, quod sit ejus causa, *nego*.

Quoad 2. prob. Dist. maj. Res, quae nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest; id est, quae nullam habent inter se relationem, *conc.* (causalitas enim est aliqua relatio); quae communem naturam non habent, *nego*.

Contradist. min., et nego consequentiam.

Ad 4. quo fundamentum praecedentis argumenti continetur, *dist.* Non possunt dari plures substantiae ejusdem

attributi, identitate numerica, *conc.*; identitate specifica, vel generica, *nego*.

Ad *rat. add. Trans. ant. Dist. cons.* Non essent plures secundum rationem considerantem in eis commune universale, *conc.*; non essent plures realiter, *nego* (1).

118. Sic ruit totum sistema impii fallaciarum fabricatoris, et cum ablato fundamento ruat res fundata, ex hac tenus dictis, satis superque disjecta sunt hodiernorum idealistarum pantheistica systemata. Tamen nonnulla aduersus hos breviter adnotabimus. Quamvis, cum ipsi nullam afferant rationem, sed ridiculas assertiones pro suis systematibus condiendis, forsitan melius foret eodem, quo proponunt jure, illas respuere.

119. Prop. IV. *Pantheismus idealis est eminenter absurdus et impius.*

Prob. Nam 1.^o Si omnis idealismus absurdus est, multo magis ille, qui hujus systematis basis est; per ipsum enim non modo mundi exterioris realitas perimitur, sed ipsum quoque subjectum cogitans inter phænomena fallacesque illusiones rejicitur; ipsum enim subjectum cogitans est tantummodo unum momentum, una positio evolutionis idealis absoluti; vere nihil, ac *somnium somniorum*, ut ait Fichte.

2.^o Mens nostra, Fichteo asserente, ope abstractionis ad *ego puri* conceptionem ascendit. Atqui nemo vel in Logica novitus ignorat, abstractionem non posse confici, sine subjecto, quod illam conficit, et objecto, circa quod conficitur. Ergo *ego puri* conceptio exurgere non potest, nisi subjecti, atque objecti realitas præstituatur. Atqui conceptio *to ego puri*, secundum Fichteum, quamlibet tum objecti, tum ipsius subjecti repræsentationem excludit. Ergo Fichteus turpiter sibi contradicit, cum conceptionem

(1) Tongiorgi I. c.

to ego puri veluti sui systematis fundamentum ponit (1).

3.^o *Absolutum*, á quo Schellingius supremum cognitio-
nis humanæ principium derivat, est aliquid, quod mens
per remotionem omnis realitatis, nempe per abstractionem
ab abjecto, et subjecto, in se contemplatur, et simul est
realissimum, quia illud non solum reale, sed etiam totam
realitatem, et fontem omnis realitatis esse contendit. Atqui
illud, quod ex remotione subjecti exurgit, quin fons reali-
tatis sit, est *privatio absoluta*; seu *merum nihil*. Ergo
identitas absoluta Schellingii manifestam exhibit contradic-
tionem (2).

Insuper, Absolutum hoc, juxta Schellingium, evolvit
sese, et fit omnia. Sed quomodo? in ordine ideali, et, quod
supra modum absonum et ridiculum est, negationis ope,
Et re sane vera, absoluto huic transcendentalium, per quas-
cumque evolutiones, nihil, quod reale sit, accedere adjun-
gique potest; heic enim vere valet illud: *ex nihilo nihil*.
Ergo absolutum hujusmodi, post quascumque evolutiones,
re idem est, quod ab initio fuit, verum nihil.

4.^o Si Schellingius turpiter sibi contradicit, cum *Absolu-
tum*, quod mens per remotionem omnis realitatis in se
contemplatur, in Ens realissimum transmutavit: Idem
Hegelio objiciendum est, quia ipse asseruit, *Ideam* esse
ultimam abstractionem, ad quam mens, á rebus proprieta-
tes earum gradatim removendo, pervenit, et simul eam
fontem omnis realitatis, ac proinde cum idea omnium
maxime concreta unum, idemque fecit. Accedit, quod cum
idea visionem, sive repræsentationem significet, admittere
ideam, quæ neque ad objectum, neque ad subjectum ullo

(1) Ecce, depositis involucris, tota Fichtei demonstratio in sua *Scientiae Theoria*. «*Ego sum ego, in actu isto to ego se ipsum ponit. Existit igitur, quia posuit se ipsum. Propterea ego existit absolute ac necessario per se ipsum.*» Quid ad hæc respondendum?

(2) Cajet. Sansev. l. c.

modo refertur, idem est, ac admittere visionem sine re, quæ videtur, et sine subjecto, quod videt; id, quo nihil absurdius effungi potest.

120. Denique non modo idealismus, sed horribilis quoque *nihilismus* in his trascendentalium doctrinis continetur. Destructis namque exterioribus objectis, ipsoque subjecto destructo, quid nobis reliqui faciunt? Absolutum, *Ego purum, Idea-ens*. Sed tandem quid hæc sunt, et significant? *Esse* abstractissimum et omnino indeterminatum; cogitatio pura sine cogitante; et cogitatio, quæ nihil cogitat. Qua in re, quæso, phantasma hoc differt à nihilo? Hic est progressus horum somniatorum, et talis est imbecillitas et turpitudo nonnullorum, qui eos tamquam scientiarum reformatores et constructores proclamant. Par cum paribus (1).

121. Adversus eorum principium, quod á Neoplatonicis, et Eleatensibus usurparunt: *ideas nostras á rebus non distingui*, atque *subjectum cogitans et objectum cogitatum unum, idemque esse*; notare sufficiat, ut ejus falsitas patet, quod S. Thomas variis in locis statuit (2): in *primis*

(1) Ecce Dialecticam Hegelii dignam profecto ejus admiratoribus Notate: *Aliquid et Aliud* sumit ipse ut nomina propria. Attendite, cohibite risum, loquitur ipse in Logica, Tom. I. edit. 2.^a p. 116.—«Primo. »*Aliquid et Aliud* existant utrumque. Ergo utrumque sunt *Aliquid*. »Secundo: unumquodque duorum est simul *Aliud*: parum refert, utrum »ex duobus appelletur, primo *Aliquid*. Latini, quando in una propositione unum et alterum afferuntur, vocant utrumque *aliud*, ac dicunt *alius aliud; alter alterum*. Si nos appellamus certum quoddam »ens, A, et aliud ens, B, primo determinatur ut *Aliud*. Sed A est et »ipsum eodem tempore aliud respectu B, Ergo utrumque sunt eodem »titulo *Aliud*.

»Ergo utrumque, sive quatenus sunt *Aliquid*, sive quatenus sunt »*Aliud*, sunt semper *Idem*» Suspendamus, nec risu solvamini.

(2) Sum. Cont. Gent. Lib. 2. c. 60., et in Th. 1. p. q. 14. a. 2. ad. 3., id. q. 76. a. 2. ad. 4., 2.^a 2.^a q. 175. a. 4. et alibi passim.

sane intellectio non est eadem cum re intellecta, quia mens non solum intelligit rem, sed per facultatem in se ipsam redeundi, qua potest, intelligit intellectionem rei; ex quo fit, ut non solum scientiae rerum existant, sed etiam scien-tia cognitionis rerum confici possit. Secundo, intellectio distinguitur ab intellectu, sive a subjecto cognoscente, quia si intellectus idem esset cum intellectione, ipse num-quam in potentia, sed semper in actu foret, hoc est, sem-per cognosceret quidquid cognoscit, neque unquam novas cognitiones adquireret. Tertio, intellectus a re intellecta discriminatur, quippe quod res intellecta est principium, per quod anima eam intelligit (1).

122. Cæterum, quam impius sit hortum idealistarum pantheismus patet luculenter ex supra notatis, (98-99 1.^o seqs.), quibus adjicere possumus impiam, abnormem et effrontem notionem, quam ipsi de Deo obtrudunt. Et re vera:

1.^o Secundum Fichteum: 1. Deus non est aliud nisi *ego purum*, quod se ipsum tamquam purum ponit, sive *creat*, ut ipse blaterat: 2. Cum *non ego, ego non purum*, et Deus omni realitate objectiva destituantur, ut ipse inani loquacitate obtundit, tales positiones nihil sunt, nisi figmentum mentis nostræ; ergo Deus nihil aliud est nisi hoc figmentum: 3.^o *Ego infinitum* sibi limites ponit, ideoque Deus Fichtei est infinitus simul et a se limitatus, et cons-titutus spiritus et mundus.

2.^o Deus Schellingii et suorum est *Absolutum*, non omne in *actu*, sed *potentiale*, quod per *successivas evolu-tiones* se in *materiam* et *spiritum* ab ipsomet apparenter tantummodo distincta manifestat. Imo, salva palmaria contradictione, est *pribatio absoluta*, ut ipse blaterat, sive merum *Nihil*. Hinc Oken, Schellingii discipulus, eo usque

(1) Conf. S. P. Aug., De Trinit. l. I4. c. 15.-6; Balmesium, Phil. fud. l. 1. c. 8. §. 91.-95.

insaniit, ut *Absolutum*, sive Deum *Magnum Nihil* appellaverit.

3.^o Denique, secundum Hegelium: 1.^o unicum ens, sive *Absolutum* et *Infinitum*, quod ipse vocat *Idea-Ens*, est aliquid *privative indeterminatum*, unde collegit *Ideam-Ens*, esse purum, putumque *nihil*; et quoniam nihil est negatio entis, *Idea-ens* est, secundum hunc stupidum, ens, quod non est ens, sive ens non ens: 2.^o Ex evolutione *Idea-Entis*, ut ipse Hegelius ait, emergunt mundus, spiritus et ipse Deus. Quare, cum *Idea-Ens* sit nihilum, Deus, ut Wilmius scite monuit (1), oriretur ab *actione vacui super vacuum*, et *nihili super nihilum*.

123. Quod attinet ad F. Lamennasium, H. Ahrens, aliosque pantheistas, brevitatis gratia omittimus, cum jam ex dictis refutati maneant. Quod attinet ad J. Salvador, incredulum, pantheistam et injurium Moisi, hominem iudæum ad Theologos potius spectat ejus incredulitatem et sacrilegam contumeliam profligare (2).

Quoad absurdam vero Victoris Cousin notionem de creatione necessaria, et eductionem mundi ex ipsa Divina Substantia, duo solum notamus ex S. P. Augustino et Divo Thoma; cæterum tum ex jam præstitutis, tum ex demonstrandis in Theologia naturali, cum agamus de operibus Dei ad extra dissipata, profligataque evadet ejus erronea sententia. Et sane falsam esse cousinianam creationis notionem à S. Parente docemur, «*Creatura*, ait S. Doctor, ita esse dicitur ex Deo, ut non ex Ejus natura facta sit. Ex Illo enim propterea dicitur, quia *Ipsum auctorem habet*, ut sit, non ita ut ab Illo nata sit, vel processerit, sed ab illo creata, condita, facta sit. (3).

(1) Diction. phil. art. *Hegel*, tom. 3.

(2) Cons. Johan. Perrone, *De vera Relig.* variis in locis, prælect. The. Tract. *De Deo* part. 2.^a Cap. prop. III. num. 238-243 et seqs.

(3) *De Anim.* et ejus orig. 1. 2. c. 5.

Atque inde concludit: *Quapropter creaturam universam neque consubstantialem Deo, neque coæternam fas est dicere, aut credere* (1). Et op. imperf. con. Jul. Lib. 5. ait: *Non de se ipso, hoc est, de sua natura, atque substantia genuit; sed de nihilo, hoc est, de nulla re fecit hæc Deus.* Unde S. Thomas ejus discipulus fidelissimus concludit contra necessitatem creationis, et ait: *Quidquid in Deo est, est sua essentia; et ideo totum est æternum et increatum, et necessarium, sed tamen effectus, qui ex Ejus operatione procedit, non necessario procedit, quia procedit ab operatione, secundum quod est à voluntate, et ideo producit effectum secundum libertatem voluntatis* (2).

124. Has duas Disputationes contra pantheistas, qui omnia invadunt, omniaque susdeque perturbant, atque subvertunt, concludamus cum illa pulcherrima sententia S. P. Augustini, qua complexus est originem et progressus omnium impietatum, quæ sub diversis formis, et non minibus à mundi exordio hactenus obtinuerunt, et deinde obtinebunt usque ad mundi finem.

«Fecerunt civitates duas, ait ipse (3), amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in se ipsa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam: huic autem Deus, conscientiæ testis, maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum: hæc dicit Deo suo, *Gloria mea, et exaltans caput meum* (4).... Ideoque in illa (terrena) sapientes ejus, secundum hominem viventes, aut corporis aut animi sui bona,

(1) Lib. Imperf. de Gen. ad. litt. c. 1. n. 2.

(2) In l. 1. Sent. Dist. 43. q. 2. a. 1. ad. 2. et. ad. 3.

(3) De Civ. Dei. Lib. 14. cap. 28.

(4) Psal. 3. v. 4.

aut utriusque sectati sunt, aut qui potuerunt cognoscere Deum, non ut Deum honoraverunt, vel gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, id est, dominante sibi superbiâ in sua sapientia sese extollentes, stulti facti sunt; et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium... (1).»

DISPUTATIO 6.¹.—DUO ALTERI ERRORES CIRCA MUNDI ORIGINEM RECENSENTUR ET REFUTANTUR.

S. I.

125. Satis, superque profligato et disjecto latissimo ac pessimo errore, qui mundum et Deum unam eamdemque substantiam esse statuit, secundum errorem refutare aggredimur; hic error est eorum, qui autumarunt, mundum semper extitisse in eo statu, in quo nunc est. Sed cum hi bifariam dividantur (45-2.), duabus distinctis propositionibus eorum diluemus somnia.

Itaque prima erit contra Alemæonem Crotoniatem, Philolaum, aliosque antiquos, præsertim Aristotelem, quippe qui docuit, Deum nec materiæ, ex qua mundus constat, nec ordinis, qui inter res materiales est, auctorem esse, sed in centro mundi ita consistere, ut dum omnia ab eo moventur, atque ad eum tendunt, ipse sit omnium ignarus (2). Eamdem sententiam tenuerunt Epicharmus et Empedocles, ac tenent Naturalistæ et Rationalistæ, et turba incredulorum sæculi proximè elapsi, quorum antesignanus extitit Auctor systematis naturæ (3). Contra quos sit

(1) Ad Rom. e. 1. v. 21. seq.

(2) Nat. Ause. lib. 8. c. 1.; De cœlo, lib. 1. c. 10—12.; Met. lib. 11. c. 7. et alibi passim.

(3) Hie fuit Paulus Thiri, Baro d' Holbach.

126. PROPOSITIO I.^a *Absurdum quam quod maximum est ponere mundum esse increatum.*

Demonst. 1.^a Quod est increatum habet *esse à se*, seu sua existentia est sua ipsius essentia; est igitur necessarium, immutabile, infinitum, ejusque non existentia repugnat. Atqui mundus nihil horum habet; siquidem ejus non existentia minime repugnat, ut vel paulisper consideranti patet: non solum non est infinitus et necessarius, sed potius undequaque limitatus, quoniam compositus, et in perpetuis mutationibus se evolvens; ac perennes vices, quas mundus in dies subit, et naturales defectus, ac limites, quibus singulæ ejus partes, atque totus proinde Orbis circumscribitur, ejus absolutam contingentiam evidenter demonstrant. Ergo mundus non est increatus.

2.^a Mundus est finitus; constat enim partibus finitis; ergo est contingens, mutabilis, et dependens; ergo est ab alio tum quoad materiam, tum quoad formam, et causam efficientem habet, ac proinde improductus non est; sed quod improductum non est, aliquando non fuit: quod autem aliquando non fuit, habuit initium existendi: quod aliquando non extitit, ex statu mere logico, seu possibili perductum est ad statum existentiæ; quod autem sic producitur, ex nihilo oritur, et quidem tum *sui*, tum *subjecti*, ac proinde in tempore, seu cum tempore. Ergo maximum absurdum est ponere mundum increatum.

3.^a Denique, quod est à Deo revelatum, procedit à summa veritate, Deus enim est ipsa essentialis veritas; quod autem à summa veritate procedit, necessario verum est; quod est necessario verum, nulla vera demonstratione impugnari potest, nam verum vero non opponitur. Si ergo revelatione divina constat productio mundi cum tempore, absurdum est maximum eum ponere increatum. Atqui non solum Divina revelatione, sed etiam omnium populorum

traditionibus constat, mundum conditum fuisse in tempore,
seu cum tempore. Ergo. etc.

Prob. min. Quoad divinam revelationem nemo ambigit: revocate in mentem caput primum *Geneseos*, et *symbolum Apostolicum*; *Psalm.* 101.; *Ev. Johan.* cap. 17. v. 5.; *Concil. IV. Later.* cap. *Firmiter*, etc. Quoad populorum traditionem vero sufficiat revocare in mentem quod ipse Aristoteles ingenue fatetur: *Omnes, qui retro fuerunt philosophi*, ait ipse (1), *in hac sententia convenerrunt, mundum æternum non esse*, nimirum quia illa à primis mundi incolis per manus tradita, posteris commendata fuit. Plurimi quoque post Aristotelem id ipsum sensere (2), omnisque doctior Antiquitas mundi agnovit principium. Hinc Hebræorum populus, Ægyptii, Chaldaeï, Græci, Gentiles omnes, paucis exceptis, certo tempore mundum creatum fuisse crediderunt. Igitur, cum nefas sit à populorum omnium et nationum communi consensu in re historica recedere, dicendum, mundum non esse æternum, increatum, sed prorsus creatum cum tempore.

Plures etiam conjecturæ temporarium mundi natale suadent. Si enim mundus fuit semper in statu in quo nunc est, *unde fit*, ut de rebus ante Trojanum bellum gestis historia omnis ac poësis conticescat, sintque omnia ante id temporis obscura, ignota, fabulisque conspersa? Unde fit, ut artium, et scientiarum inventio determinatis certisque temporibus sit, ut historicos legentibus notum fit?

Nec dicere sufficit; plura ex hominum memoria interdicisse, pluraque universalis aliquo diluvio, aliove communis exitio periisse, ut propterea dici cum Scriptura possit: *Nihil sub sole novum* (3). Nam quæcumque fuerint hæc exitia, non ita certe universalia fingi possunt, ut omnium

(1) 8. phys. c. 2.; item de cælo lib. 1. c. 10.

(2) Cons. August. Eugubinum: *De perenni philo.* Lib. 7.

(3) Ecel. c. 1. v. 10.

hominum species fuerit penitus deleta; ergo aliqua rerum in æternitate præcedentium debuit memoria superesse; sicut hominum, rerumque antidiluvianarum aliqua superstes in libro Genesis recordatio.

Nihil igitur est sub sole novum: id est, nullæ sunt novæ species, nulli novi naturales effectus, cum hæc mundo coæva, nec nova, nec recentia sint. Supersedemus ab aliis adducendis, hæc enim plana sint.

127. PROPOSITIO II. *Mundus fuit à Deo conditus non ex necessitate naturæ, sed libera voluntate.*

Est hæc propositio contra Stoicos, Neoplatonicos, qui doctrinam SS. Patrum cum Aristotelica componere volentes dixerunt: Mundum ab æternitate esse à Deo creatum, sed juxta ipsorum mentem creatio est emanationi similis, quocirca inter pantheistas communiter recensentur. Est et etiam contra Petrum Abælardum (1); J. B. Robinetum (2); Maupertuisium (3); Voltairium (4); Auctorem *Epistolarum persicarum* (5); Cousinium (6); aliosque incredulos rationalistas.

*Demonst. prop. 1.*º Est in mundo admirabilis connexio, ac ordo aliarum rerum ad alias, et omnium ad unum finem; ergo mundi conditor, Deus, operatur propter finem. Atqui primum agens propter finem debet agere per intellectum,

(1) Cons. S. Bernard., de errorib. Abælar. c. 3. et Epis. 326. al 391.

(2) In impio opere: *De la Nature.*

(3) Essai de Cosmol. in præf.

(4) In diatriba, *Il faut prendre un parti.* §. 5., Oeuv. tom. 32. Basil. 1786.

(5) Parisiis 1721. Harum auctores fuerunt Carol. de Sodolat Baro de la Brede, et Montesquieu.

(6) Locis cit.

et voluntatem; ut enim aliquid directe in finem debitum ordinetur, requiritur cognitio finis, et ejus quod est ad finem, et debitæ proportionis inter utrumque, quod solum intelligentis est, atque volentis. Deus ergo, non ex necessitate naturæ, sed per intellectum, et voluntatem mundum condidit.

Demonst. 2.^o Omne agens agit propter finem, quia omnia optant bonum. Sed quod ex necessitate agit, non potest sibi determinare finem, cum sit determinatum ad unum. Oportet ergo ut finis ei ab altero determinetur. Fieri autem nequit, ut Deus, qui est primum agens, ab altero determinetur. Ergo fieri non potest, ut Deus agat extra se ex necessitate naturæ. Ergo non ex necessitate naturæ mundum condidit.

Demonst. 3.^o Præterea, Deus est Omnipotens, id est, potest facere quæcumque fieri possunt. Atqui sunt infinita possibilia, quæ fieri possunt, et tamen non existunt. Ergo Deus non ex necessitate naturæ ad agendum determinatur, sed per voluntatis electionem; alioquin existent quæcumque existere possunt (1).

Demonst. 4.^o Denique, libertate, cum sit maxima naturæ intellectualis perfectio, et quidem perfectio absolute simplex, profecto carere non potest Deus, utpote perfectissimus. Sed Deus in operibus ad *intra* liber non est. Ergo necesse est ut liber sit in operibus *ad extra*, id est, in creatione, conservatione, etc. Ergo non ex necessitate naturæ, sed libera voluntate mundum condidit.

Demonst. 5.^o Postremo, si Deus adstringeretur ad mundum condendum æternum, profecto ad hoc adstringeretur vel ratione ipsius mundi, vel ex propria natura. Atqui utrumque absurdum est.

Absurdum primum. Nam mundus est contingens, quod autem est contingens, non modo ex se existentiam non re-

(1) Hæc juxta S. Thomam.

quirit æternam, sed nullam prorsus existentiam requirit; quia, spectata ejus essentia, possibile est ipsum non esse.

Absurdum alterum. Deus enim nec mundo eget, nec ulla re quacumque, ad suum esse, aut ad suam perfectiōnem. Ergo quoad rerum productionem est prorsus liber. Ergo non modo Deus non adstringebatur ad mundum ab æternitate sua creandum, sed nec cum ullo tempore. Ergo fuit omnino liber, et nullo modo naturā determinatus ad mundum condendum.

128. Præcipua Aristotelis, Procli, Averrois, et cæterorum, ac nostris temporibus Emm. Saisseti, et Cousini, qui contra senserunt, objecta hue redeunt.

Objiciunt.

1.^o Posita causa sufficiente, si ea perfecta sit, necesse est poni effectum. Sed Deus ab æterno est causa sufficiens mundi, eaque perfectissima. Ergo posita æternitate divina, mundus quoque æternus est.

Resp. Dist. maj. Si causa agat ex naturæ necessitate, *conc.*; si per liberæ voluntatis imperium, *subdist.*; ponitur effectus secundum ipsius voluntatis propositum, *conc.*, posita ipsa voluntate, *nego*. *Contradist. min.* Deus est causa sufficiens mundi, agens per liberæ voluntatis imperium, *conc.*; agens ex naturæ necessitate, *nego*. Hoc erat quod adversarii probare debuissent.

Dist. conseq. Posita Dei æternitate mundus quoque æternus esset, si effectus divinæ voluntatis poneretur, posita ipsa voluntate, *conc.*; si poni debeat secundum ipsius voluntatis propositum, *nego*.

Tota igitur objectio fundatur in eo quod falso supponatur, Deum libertate carere, quod quidem maximum absurdum est.

Obj. 2.^o Agens quod non semper agit, mutatur cum :

agit. Sed Deus non potest mutari. Ergo non potest non semper agere, quod agit.

Resp. Agens quod non semper agit mutatur cum agit, *dist.*, agens in quo non est semper actus, quo aliquid vult ac facit, mutatur cum agit, *conc.*; agens, cuius effectus non semper existit, mutatur cum hic effectus existere incipit, *nego. Conc. min. et dist. conseq.* Ergo Deus non potest non semper agere, id est, non potest non semper habere actum, quo aliquid vult ac facit tempore à libera voluntate prædeterminato, *conc.*; non potest non semper existere effectus, sive terminus suæ actionis, *nego.*

129. Dei actus considerari potest à nobis dupliceiter; *primo* in se, et tunc idem est ac divina Substantia, quæ eadem semper manet, nec ullam in se mutationem recipere potest: *secundo* potest considerari quoad terminum extrinsecum, seu effectum, aut diversa connotata, quæ quidem esse incipiunt cum tempore à libero Dei decreto præscripto, quin ex hoc aliqua mutatio in Deo sequatur, sed tantummodo aliqua relatio extrinseca puræ denominationis, ut jam ex dictis in Ontologia, cum de relationibus ageremus, et ex dicendis in Theologia melius intelligetis.

Obj. 3.: Si Deus mundum in tempore creasse dicatur, illud quoque dicendum est, fuisse tempus, in quo Deus ab omni opere vacavit. Atqui hoc consecarium est absurdum. Ergo Deum mundum in tempore creasse non sine absurditate dici potest.

Respondet S. P. Augustinus negando maj. «Nam, ait ipse (1) ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora; et ideo antequam ficeret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliud tempus, quando Deus nondum aliquid ficeret.... Et, si tempus cum cœlo, et terra esse cœpit, non potest inventari tempus, quo Deus nondum mundum ficeret cœlum

(1) De Genesi Cont. Manich. l. 1. c. 2. n. 3.

»et terram.» Hinc animadvertisit S. P. (1), «inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum» (2). Itaque cum dicimus: *ante creationem*; nihil aliud significamus nisi *initium rerum*, et temporum: ita autem loquimur: 1.º ex assuetudine orta ex successionibus continuis, in quibus versamur: 2.º ut nos invicem intelligamus, adeo *imbecilla* sunt enim verba nostra, ut res, ut in se sunt, vix nominare possimus: 3.º relate ad tempus ideale.

130. Verbis S. P. accedit quod ait S. Bonaventura: «Deus nec recipit complementum in operando, nec in non operando est otiosus, nec cum de non operante fit producens, mutatur ab otio in actum,... quia Ipse est agens, quod est sua actio, et tali nihil omnino advenit, cum producit, nec etiam in eo fit aliquid, quod non prius infuit» (3). Quapropter, si Deus mundum cum tempore, non autem ab æternō creasse dicatur, ideo dicendum non est Eum, antequam mundum moliretur, otio vacasse.

His bene intellectis cætera objecta nihili aestimari valent.

§. II.

131. Tertius error est eorum, qui dixerunt, mundum non esse quidem æternum, sed æternam esse materiam, ex

(1) De Civ. Dei, l. XI, cap. 5, et 6. Cons. præsertim Confs. l. XI, cap. 11—12.—30. In 11. reprehendit illos, qui ita respondent: *Deus (antequam cœlum et terram faceret) alta scrutinibus gehennas parabat.*

(2) Juxta hanc doctrinam ipse S. P. duo statuit, quæ digna notatu sunt. Primum est, quod, si presse loqui voluerimus, mundus nobis dicendus est creatus *cum tempore*, non vero *in tempore*. Quod et nos fecimus. Secundum est, quod sine ullo errore asseri poterit, mundum semper fuisse, quia cum tempus, et res creatæ simul esse cœpissent, procul dubio nullum tempus assignari potest, in quo mundus non fuerit. De Civ. Dei Lib. XII c. 15. n. 1. ob .di. I. g. A. T. 2. a. C. 2. Q. 2. G. 2.

(3) In lib. 2. sent. Dist. 1. p. 1. a. 1. q. 2. ad arg. Q. 2. G. 2.

qua mundus effectus fuit. Hunc inter philosophos græcos amplexi sunt in primis Tales Milesius, Anaximenes, Anaximander, cæterique *Hylozoitæ* (56); deinde Leucippus, Democritus, Epicurus, aliisque defensores atomorum; denique Plato (1), et fere omnes Hæresiarchæ I et II sæculi, præcipui Valentiniani (2), Marcionitæ, et Manichæi (3). Sed hi omnes inter se dividuntur. Namque *Hylozoitæ* dixerunt: materiam æternam pollere quadam ingenita vi vitali, per quam omnis varietas rerum mundanarum effecta est. *Atomici* autem senserunt, particulas materiæ semper extitisse, et deinceps mundum ab illarum *fortuita concursione* effectum fuisse; supponebant ipsi multitudinem infinitam atomorum, in vacuo infinito et æterno volitantium, quæ et figuræ et magnitudinis infinitas habebant varietates. Atomi vero motu naturali æternum impulsæ, per infinita spatia deorsum urgebantur; *casu* tamen factum est, ut in transversum declinarent, et sic altera ad alteram accederet, ac temere simul coacervatæ mundum quemdam constituerunt; qui deinde dissolutus, alteri, et alteri, ac nostro huic deinde locum dedit (4). Nec res materiales modo, sed et ipsam spirituum existentiam, omnesque spirituales actus hæc fortuita concursione atomorum plus minusve subtilium explicabat Epicurus cum grege sua. At *Plato* à rudi hac, manifesteque absurdâ Theoria abhorrens sæpe docuit: Deum non produxisse materiam neque *indeterminatam*, seu omnis formæ expertem, neque *choaticam*, seu aliqua rudi forma præditam, sed dumtaxat ordinem in materia choatica statuisse, eo quod corpora elementaria primo à se discrevit, dein ita ea secum composuit, ut

(1) Cons. S. Basil., Hom. 2. Hesaëm.; S. Thom. In lib. 2. sent. Dist. 1. q. 1. a. 1.

(2) Cons. S. Irenæum l. 2. adv. hær. c. 9.

(3) Cons. S. P. Aug. Lib. de Hæres.

(4) Cons. Ciceron. De fin. l. 1. c. 6. et De Nat. Deor. l. 1. c. 24.

harmonia mundi inde efficeretur (1). Hinc ipse Deum vocabat non mundi *creatorem*, sed *Opificem*, magnumque *Geometram*.

132. Renovarunt hanc ethnicorum philosophorum sententiam Materialistæ Germani et Galli, quos sequutus est Büchnerus. Sed magis festiva est mimica Theoria Cartesii; hic enim Christianam doctrinam de creatione mundi cum doctrina atomorum, quam ab Epicuro hauserat, componere volens, docuit: mundum quidem ex concursione atomorum in vortices agitatarum conflatum fuisse, sed Deum esse non modo materiæ, sed etiam legum, et communicationis motûs auctorem (2).

Jam vero nos, hujusmodi errore delibato, continent serie propositionum eum refutabimus possibili brevitate.

133. PROPOSITIO I. *Materia, ex qua mundus constat, non est à se.*

Demonst. 1.^o Materiæ nomine intelligimus elementa primitiva, ex quibus corpora coalescunt. Jam vero materialia hæc elementa sunt plurima, sunt extensa, sunt mutabilia quoad positionem, actionem, conjunctionem cum cæteris, sunt limitata et imperfecta, et alterum ab altero dependet. Sed sic est quod Ens à se est essentialiter unicum, simplex, immutabile, infinite perfectum, ut in Theologia demonstrabimus. Ergo materiale quodvis elementum non est à se: multo minus omnium hujusmodi elementorum collectio (3).

(1) In Timæo, et in politicorum dialog.

(2) De principiis philosophiae, 3.^o part. et tractat. de Mundo, §. 8.-10.

(3) Unde S. Theophylus ait: *Quemadmodum Deus, quatenus ingenitus, etiam immutabilis est; ita et materia, si esset ingenita, immutabilis quoque, et Deo aequalis foret; quod enim genitum est, verti, et mutari potest, ingenitum autem nec verti potest, nec mutari.* Ad Autolychium 1. 2. e. 4. ad calc. Opp. S. Iust. ed. Mau.

Demonst. 2.^o Quod est essentialiter indifferens ad ea sine quorum altero existere non potest, est profecto ad existendum quoque per se indifferens. Non enim fieri potest, ut aliquid sit ex se determinatum ad existendum, quin simul ex se determinationem habeat ad aliquid eorum, sine quibus exsistere nequit. Atqui materia ex se indifferens est ad motum et ad quietem; est insuper ex suo conceptu indifferens ad hanc vel illam figuram, ad hanc vel illam magnitudinem; et tamen non potest dici ejus essentia consistere in hac indifferentia, quia non potest exsistere nisi vel in quiete, vel in motu sit, ac nisi determinatam aliquam figuram, et magnitudinem accipiat. Ergo materia est indifferens essentialiter ad existendum. Igitur exsistentia non est illi essentialis. Ergo materia non est ens à se (1). Ergo etc.

134. PROPOSITIO II. *Materia produci debuit ex nihilo.*

Demonst. 1. Materia non est ens à se; ergo produci debuit ab alio. Hoc autem, à quo materia producta est, non potuit esse materia. Nam materia non potest agere nisi in materiam præexistentem: agit enim tangendo, attrahendo, repellendo. Actio itaque materiæ materiam præexistentem supponit; nequit ergo materia materiam producere. Præterea, redibit semper quæstio: à quonam materia producens fuit producta? Siquidem materia nulla potest esse à se.

Ergo fuit spiritus, qui materiam produxit. Sed spiritus non potuit materiam educere è sua substantia: nam spiritus est substantia simplex omnino indivisibilis. Non potuit illam educere aliunde: non à materia alia, quia nulla materia erat; non ab alio spiritu, quia simplex et indivisibilis. Ergo materia ita producta est, ut è nulla re præexistente fuerit educta. Ergo è statu logico, seu puræ possibilitatis debuit per crea-

(1) Cons. J. Prisc. Elemen. phil. Spec. tom. 2. Cosm. c. 3. art. 1.

tionem ad esse reale et physicum venire; seu, quod idem est, materia produci debuit ex nihilo *sui, et subjecti*.

Demonst. 2.^o Verbis S. Anselmi: «Materia, ex qua »Deum mundum effecisse volunt, vel est facta ab alia ma- »teria, vel à se ipsa, vel à summa Natura, nempe à Deo. »Non primum, quia oporteret aliam materiam rursus ab »alia esse factam, atque hanc ab alia; quod progressum »causarum in infinitum involvit. Non secundum, quia »cum id, quod gignitur ab alio, sit ipso posterius, nulla »res potest esse principium, et causa sui ipsius. Restat »igitur, ut *esse* habeat ab ipso Deo; quare Deus non solum »formæ, sed etiam materiæ rerum auctor, sive quod idem »valet, creator rerum esse debet (1).»

Igitur, concludit S. P. Augustinus, «Solus unus cuiuslibet naturæ seu magnæ, seu minimæ creator est Deus (2).»

135. Igitur propositio illa: *ex nihilo nihil fit*: quæ à vetustis philosophis, creationem ignorantibus, tamquam axioma habita fuit, est plane falsa cum de infinita virtute agitur; per creationem enim res factæ sunt prorsus ex nihilo *sui et subjecti*, non quidem ex nihilo tamquam ex materia quadam, sed ex nulla præexistente materia.

Jam vero mundanæ materiæ creator est prima rerum causa. Primam autem rerum causam omnes vocant Deum. Ergo et Deus existit, et est mundi creator. De creatione vero diserte agemus in Theologia.

136. PROPOSITIO III. *Rejiciendum est absurdum CASUALISTARUM systema.*

Est hæc propositio contra Democritum, Leucippum, Epicurum hodiernosque atheos de grege Epicuri.

Demonst. 1.^o Illud sistema ut absurdum rejiciendum

(1) Monolog. cap. 6.; Cons. Card. d' Aguirre, S. Anselmi Theol. Disp. 14. sect. 1.

(2) De Genesi ad litt. lib. 9. c. 15.

est, cujus principia gratis conficta sunt, falsissima, et inter se opposita; quibus etiam admissis, consectaria sunt ridicula et falsa; atqui tale est causalistarum systema; ergo rejiciendum.

Prob. 1.^a—pars. 1.^o Principia hujus systematis *sunt gratis conficta*. Contendit enim Epicurus (1) cum suis asseclis, atomos necessario existere, eas variis donari figuris, motum ipsis secundum lineas parallelas esse necessarium; eas tamen à lineis parallelis in posterum declinavisse; atqui haec omnia, præter esse absurdia, gratis, et sine ulla probatione supponuntur; ergo tale sistema gratis confictum est.

2.^o Sunt falsissima ejus principia. Inde enim sequentur, 1. illas atomos singulas esse independentes, immutabiles, infinite perfectas, cum sint entia necessaria, quorum essentia est esse à se; 2. illas necessario moveri, quod falsissimum est, quia de facto quandoque quiescunt, et quiescere possunt.

3.^o Sunt inter se oppositu et contradictoria. 1. Ponit enim Epicurus atomos essentialiter et non essentialiter moveri; essentialiter quidem, quia admittebat motum ipsis essentialiē; non essentialiter autem, quia hic motus mutatus fuit, et amissus. 2. Supponit vacuum immensum et atomos numero infinitas sese moventes; quae omnia contradictoria sunt, tum quia repugnat numerus actu infinitus, tum quia si fuissent numero infinitæ, universum spatiū implevissent, et consequenter, non fuisset vacuum in quo se moveri potuissent. 3. Supponit in vacuo immenso sursum et deorsum atomos extensas et simul indivisibiles; quae omnia sibi evidenter contradicunt; ergo rejiciendum est absurdum *casualistarum* systema.

Prob. 2.^a pars 1.^o Admissis etiam Epicuri principiis, consectaria, quæ inde deducit, sunt absurdissima, id est,

(1) Hanc 1.^{am} partem coarctamus ad Epicurum, quia hoc absurdum systema jam præformatum ipse evolvit, cui posteri subscribunt.

datis etiam atomis improductis ab æterno sese moventibus, repugnat mundum hunc aspectabilem ex fortuita earum concusione oriri, et tanto tempore conservari potuisse. Etenim ut mundus hic aspectabilis et oriretur, et tanto sæculorum intervallo conservaretur, necessariæ erant generales quædam motuum leges, quibus mutuus particulatum accessus, et recessus, cohæsio, generatio, nutritio animalium, et plantarum, nec non corporum cœlestium motus regerentur; atqui posita fortuita atomorum concusione nullæ leges hujuscæ generis existerent. Atomi enim intelligentiæ orbatæ, et per se indifferentes ad talem talem motum, aut directionem, nonnisi ab ente aliquo extrinseco, quod super ipsas absolutum habeat dominium, potuerunt accipere illas motuum leges, quibus stat, et conservatur hic mundus aspectabilis. Ergo consecaria hujusmodi systematis absurdissima sunt; ergo rejiciendum est tale sistema.

2.^o Præterea, quomodo atomi intellectu et ratione carrentes id dabunt, quod ipsæ non habent? Quomodo inordinatae atomorum concusiones tam mirabili nexu omnes humani corporis partes inter se devincere, et conservare potuerint? Nec dicam de sensitivæ vitæ phænomenis, et de instinctu motuque animalium, ad quæ explicanda nec materialiæ vires, nec ipsa sufficit organizatio; certe sentiendi et intelligendi principium, ejusque cum corpore conjunctio à nullo agente materiali, et non intelligenti repeti potest. Quomodo enim, ut cætera omittant, quomodo poterat intelligentia à causa non intelligenti prodire? (1). Quomodo...? Hinc egreie Tullius (2): *Hinc ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat corpora quædam solida, atque individua, vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum, et pulcherrimum ex eorum corporum concusione*

(1) Cons. S. P. Aug. De Civ. Dei lib. VIII. præs. cap. 5.

(2) De nat. Deor. I. 2. c. 37.

fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius et vinginti litterarum vel aureæ, vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possent, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna..... Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effuttiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. Satis de re tam abnormi. Objecta horum atheorum soluta invenietis in principio Theologiæ naturalis, infra.

137. PROPOSITIO IV. Ergo mundus non fuit à Deo factus *ex materia improducta præexistente, sed productus fuit ex nihilo.*

Hæc propositio, quæ ex præcedentibus sponte fluit, est contra Platonicos, hærítocosque I et II sæculi, et non nullos hodieños Materialistas Germanos, inter quos Büchnerum.

Demonst. 1. Si mundus à Deo fuisset factus ex præexistente materia æterna et improducta, Deus materiâ indigüisset, ut mundum conderet; materia vero ipsa Deo non eguisset, sed Deo egenti se præstitisset. Jam vero quod altero indiget ei subjicitur, saltem ea ratione, qua indiget. Deus ergo fuisset materiæ subjectus: quod dici nefas est (1).

(1) Ita Tertullianus. 1. Cont. Hermogenem c. 2; qui c. 7. ait inducens materiam succensem Hermogeni: *Ego prima, et Ego ante omnia, et Ego à quo omnia: pares fuimus, simul fuimus, ambo sine initio, sine fine, ambo sine auctore, sine Deo. Quis me Deo subjicit contemporali coetaneo?* Cons. S. P. Aug. Conf. Lib. XII. cap. 7. edit. parisiis 1864.

Demonst. 2.^o Verbis S. Justini: Si materia informis non esset à Deo facta, procul dubio Deus non potuisset aliquid in ipsam agere, proindeque ipsam illa formâ exornare, quam modo habet, nisi ipsa ab Eo penderet, Eique subjiceretur. Nam materiæ vis utpote ingenita, et, ut ipse opinatur Plato, æqualis opifici, et coœva, oblutari par est ipsius voluntati. *Enim* cui non creavit, nulla est in id, quod est increatum, potestas; unde nec vis ulla ei inferri potest, cum ab omni externa necessitate libera sit (1). Ergo vel Deus mundum ex nihilo condidit, vel nullo modo condidit; ergo, cum hoc ultimnm absurdum sit, concludendum, Deum mundum condidisse non ex præexistente materia, sed ex nihilo, id est, non ex aliqua re præexistente.

Demonst. 3.^o Verbis S. P. Augustini: «Cum dicunt esse »naturam, quam Deus omnipotens non creaverit, de qua »tamen istum mundum fabricaverit, quem pulchre ornatum »esse concedunt; ita omnipotentem Deum negant, ut non »Eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabri- »candum alia naturâ, quæ jam fuerat, et quam Ipse non »fecerat, uteretur; carnali scilicet consuetudine videndi »fabros, et domorum structores, et quoslibet opifices, qui, »nisi adjuventur paratâ materiâ, ad effectum suæ artis »pervenire non possunt, ita etiam intelligunt fabricatorem »mundi non esse omnipotentem, si mundum fabricare non »posset, nisi Eum aliqua non ab illo fabricata natura, tam- »quam materies, adjuvaret. Aut, si omnipotentem Deum »fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse »est, *ex nihilo* Eum fecisse, quæ fecit (2)» Unde sic argu-mentatur: Si Deus, ut mundum conderet, materiâ præexistente indigüisset, non esset perfectæ virtutis: idcirco enim faber v. gr. sine ligno nihil ædificabit, quia lignum ipsum

(1) *De fide et symbolo*, cap. 11. n. 2.

(2) *Lib. De Fide et Simbolo* c. 11. n. 2.

facerē non potest, non posse autem imbecillitatis est. Deus ergo imbecillis foret, proindeque Deus non esset (1).

Ergo, concludamus cum S. Bernardo, «frustra philosophi materiam quærunt; non eguit materiā Deus. Non enim officinam quæsivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? *De nihilo*: nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia (2).»

Ergo *Rectissime credimus* (ita S. P. August.) *omnia Deum fecisse de nihilo, quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est* (3).

Solvuntur objectiones.

138. Obj. I. Haud possibile est aliquid ex nihilo fieri juxta illud effatum omnium politiorum philosophorum consensione probatum: *Ex nihilo nihil fit*. Atqui nomen creationis productionem rei ex nihilo significat (4). Ergo creatio non est possibilis.

Resp. Dis. maj. Haud possibile est aliquid ex nihilo fieri, quatenus nullus effectus ex nihilo, tanquam *causa efficiente*, fieri potest, et nulla res ex nihilo, tanquam *ex materia*, potest educi, *conc. maj.*; quatenus per infinitam causæ efficientis virtutem, nulla præjacente materia, res, quæ antea nullo modo extabat, nisi in ordine puræ possibilitatis, in existentiam prodire non potest, *nego maj.*

Ad mino. eadem esto distinctio; et *nego cons.* Dicitur *creatio esse ex nihilo, quia res creata naturaliter prius*

(1) Ita Lactanctius, Lib. 2. Inst. c. 9.; Cons. S. P. Aug. l. 1. de Genes. cont. Manich. c. 5.; S. Thom. Sum. Cont. Gent. l. 2. cap. 12-16.

(2) De considerat. Lib. 5. cap 6. n. 14. Tom. 1. edit. Maur.

(3) De Fide et simb. c. 2. n. 2.

(4) Ita Victor Cousinius, introd. a l^e hist. de la phil. lec. 5.

habet non esse, quam esse, ait S. Thomas. Deus una Trinitas, et Trina Unitas... Tu eras, et nihil aliud, unde fecisti cœlum, et terram; ita Deum alloquitur S. P. Augustinus, Confs. I. XII c. 6. edit. citata, n. 2.

Obj. II. Si daretur creatio, ea foret actio transiens. Atqui hoc repugnat. Ergo etc.

Resp. Foret actio transiens. *Dist.* creatio activa foret actio transiens proprie, *nego.*; æquivalenter, *trans.* vel *conc.*; Creatio passiva foret actio transiens, *dist.*; quatenus res creata de non esse ad esse transit, *conc.*; quatenus veram mutationem inducat, et aliquod temporis momentum insumat, *nego.* De his alibi.

139. PROPOSITIO V. *Corporum mundanorum distinctio et ordo à Deo est materiæ creatore.*

Est hæc propositio contra cartesianos, quæ etiam confirmat ea, quæ contra Epicureos, seu causalistas dicta sunt. Ejus sensus est, videlicet materiæ distributio in cœlestes globos, ac terræ formatio, itemque mira illa rerum varietas, quibus terra exornatur, non materiam ipsam, non casum fortuitum, non vortices, sed eundem, qui materiam ex nihilo eduxit, Deum, effectorem habent, sive immediate per se operantem, sive mediate concurrentem et dirigentem causas secundas.

Demonst. 1.º Deus, cum sit intelligens, creare materiam non potuit, nisi in aliquem finem: operum autem Dei hic unus finis esse potest, ut ejus perfectionem, ac beatitudinem manifestent. Sed iners atomorum massa, si talis permansisset, cuiusmodi in instanti creata est, huic fini assequendo, saltem eo modo, qui Deo dignus esset, par non erat. Oportuit ergo, ut ex hac materia variae res formarentur, quæ tum multiformi sua perfectione, tum ordine, quem inter se haberent, divinam perfectionem (1).

(1) Cons. Disput. 3.ª à medio.

quantum poterant, repræsentarent. Hoc ergo Deus effecit.

Demonst. 2.^o Quamvis «si concesseris esse atomos» (sunt verba S. Patris Augustini (1)), si concesseris etiam «concursu fortuito seipsas pellere et agitare; num et illud «eis fas est concedere, ut inter se atomi fortuito concur-»rentes rem aliquam ita conficiant, ut eam formâ modi-»ficent, figurâ determinent, æqualitate poliant, colore »illustrent, animâ vegetent?» Et profecto, Omnes quotquot sunt materiæ inorganicæ attributæ vires, prorsus ineptæ sunt ad plantas, animantesque effingendas. Plantæ enim v. gr. ex seminibus, vel ex aliis plantis progerminant; se- mina autem in plantis solummodo elavorantur. Sunt ergo in corporibus vires naturales ad sibi similia gignenda; sed nulla est vis hujusmodi in natura inorganica. Itaque peculiaris illa molecularum distributio et conjunctio, quam organizationem dicimus, nec per chimicas attractiones, nec per electricitatem, nec per aliam hujusmodi vim quamcumque perfici primo potuit. Ergo à Deo talis admirabilis ordo et distinctio repetenda est (2).

Demonst. 3.^o De animalibus et præsertim rationalibus. Loquitur Lactantius: «Quid ergo de animalibus loquar, »in quorum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine »utilitate, sine specie figuratum videmus, adeo ut soler-»tissima, et diligentissima omnium partium membrorum-»que descriptio casum, ac fortunam repellant? Sed pute-»mus artus, et ossa, et nervos, et sanguinem de atomis »posse concrescere. Quid sensus, cogitatio, memoria, mens, »ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt?... Quo-»modo ergo sine ratione coeuntia efficere possunt aliquid »rationale?... Quis artifex potuit aut cor hominis, aut vo-»cem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisnam igitur sa-

(1) Epist. 118 ad Dioscorum. c. 4.

(2) Lib. de ira Dei cap. 10.

»nus existimat, quod homo ratione, et consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohærentium perfici potuisse?« Concludamus igitur cum ipso Lactantio (1), quod si nulla sp̄cies rerum, ex quibus mundus componitur, ex fortuito concursu atomorum fieri potest, multo certe minus universa rerum mundanarum coagentatio. Ergo corporum mundanorum distinctio et ordo ab ipso Deo est materiæ creatore. Ergo in abnormi turpique somnio versabatur Cartesius, cum suos vortices in callente ferebat imaginatione.

140. Ad finem jam perducta hac salebrosa quæstione de mundi origine, duo animadvertisenda, duoque proponenda sunt.

Animadvertisendum. 1.^o Non omnia, quæ in hac quæstione proposita sunt, necesse est ut pro Lectione habeantur, sed præcipua seligenda sunt. 2.^o Auctoritates, quas adduximus, non tantum ut auctoritates, sed etiam ut profundæ rationes adductæ sunt; Utinam hodie habuissemus philosophos Patribus dignos comparari!

141. *Proponenda.* Cum constet mundum temporaneum esse, imo recentem; *Queritur* 1.^o: utrum assignari possit ejus ætas, et qualis sit.

Resp. Supponimus primo ut probabilius, Deum unico temporis momento indivisibili omnia rerum semina, ut ita dicam, seu principia, ex quibus deinde omnia efformata sunt, creasse; id est, ut cum S. P. Augustino loquar, unico momento omnia causaliter, invisibiliter et potentialiter creata sunt: *qui vivit in aeternum, creavit omnia simul*, ait Ecclesiasticus (2); proinde illi dies, quos nominat afflatus Historicus Moyses, *cujusmodi sint, aut per difficile nobis, aut etiam impossibile est cogitare, quanto*

(1) Ibid.

(2) Eccl. cap. 18. v. 1.

magis dicere? (1) Utrum vero sint illi dies *sex Angelica momenta*, seu dies angelici secundum enarrationem S. P. Augustini (2); an vero quid aliud, ad nos non pertinet perscrutari, nec longius abeamus in messi aliena; nobis consignasse sufficiat: primo instanti Deum cœlum et terram creasse, id est, Angelicam, corporeamque naturam; corporea vero erat informis et inanis, id est, non erat distincta et ordinata per genera et species, sed confuse seminaliter in ea continebantur quæcumque deinde revera facta sunt (3): Spiritus autem Domini ferebatur super aquas abyssi, id est, vel per se immediate formabat et plasmabat distinguendo et ordinando rerum omnium propria genera, species et individua, vel communicabat materiae vires et virtutes, ut mediantibus his omnia ad perfectum esse adduceret, concurrendo speciatim vero in formationem organizerum, ut sunt plantæ et animalia. Utrum vero voluntas ejus fuerit hæc omnia ad perfectionem adducere instanti temporis, an sex naturalibus diebus, an vero temporis spatio plus minusve longiori (*epochas*), nemo certo definire potest, dum S. Ecclesia non definiat. Temporis periodos fere omnes moderni defendunt, quæ opinio, quoad rei substantiam, cum sententia S. Patris congruit. Sed, quod sedulo notandum est, mundum creatum non fuisse ante tempus à Moyse assignatum, erui potest tum ex annalibus populorum, tum ex observationibus geologicis undique collectis ab eruditissimo *de Luc. et cl. Cuvier* in suo præstanti opere: *Investigationes de fossilibus ossibus,*

(1) S. P. Aug. *De Civ. Dei* L. I. c. 4.

(2) Ibid. L. II. cap. 7. et L. 12. cap. 9.; *De Genes. ad litt.* L. I. c. 11. et L. II. e. 23; lib. impecf. de Gén. c. 1. et alibi passim.

(3) Notandum est, Moysem verbo *creare* usurpasse in l. v., ubi loquitur de creatione *Cæli et Terræ*, et in v. 27. ubi loquitur de creatione hominis, id est, quantum ad animam, nam corpus de terra formavit; in cæteris vv. utitur verbo *Fiat*.

et communiter ab omnibus doctis Geologis recentioribus, qui fateri coguntur, omnes suas observationes narrationi Moysis consentire (1).

Jam vero ex chronologia Moysis circa mundi initium sexmillenos annos plus minusve communiter eruunt Expositores. Ergo cum ex una parte solutio propositæ quæstionis dependeat à Divina Revelatione, ex altera vero nihil ratione dignum contra mosaicam cosmogoniam occurrat, nec occurtere possit, pro certo habendum est, mundi ætatem non excedere plus minusve sexmillenos annos usque ad Christi Domini Nativitatem.

Diximus *plus minusve*, ut opinionum diversitatem præteriremus; nam licet communius ætas mundi usque ad Christum natum non protrahatur ultra annos quatuor mille circiter; nihilominus sunt qui ei assignent sexmillenos nongentos octoginta quatuor annos; alii vero ē contra assignant mundo tresmillenos septingentos quadraginta annos, quæ extremæ opiniones inter se differunt tresmilieni ducenteni quadraginta quatuor anni.

Hæc dicta sufficient nobis quoad quæstionem de *facto*, reliqua ad S. Theologiam; sed est et alia quæstio de *jure*, videlicet:

142. *Utrum mundus potuerit esse ab æterno.* Partem affirmantem tuiti sunt Boëtius (2), S. Thomas et multi ex ejus schola, Durandus, Ockamus, aliquie; Schola Scotistica hanc partem probabiliorem putat. Oppositam, seu repugnantiam possibilitatis æternæ creationis vehementer oppugnat B. Albertus Mag., S. Bonaventura, et fere omnes Theologi et philosophi, inter quos pro sua virili argumentatione videri potest Salv. Tongiorgi (3). Si meam li-

(1) Cons. *Du-Clot*, Vindic. Bibl. observ. prælim. §. VIII. seqs.

(2) De consolat. l. 5. prosa 6.

(3) Institut. phil. Cosm. l. 2. c. 2. art. IV.

ceat opinionem emittere, dicam: nullam me videre repugnantiam, mundum creari potuisse ab æterno. Ecce rationem simpliciorem, omissis aliis nonnihil implicatis.

Non repugnat neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ, neque ex parte ipsius creationis; ergo non repugnat creatura ab æterno, ex. gr. mundus.

Prob. ant. *Non repugnat ex parte Dei creantis*, qui eamdem habet ab æterno potentiam, virtutemque libere creandi, quam habet semper necessarioque habet; neque aliunde necesse est, ut causa præcedat duratione, seu tempore effectum, sufficit ut præcedat naturâ. «Splendor, ait »S. P. Augustinus (1), qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coævus est illi, et esset coæternus, si esset ignis æternus.» Sed hæc pars ultro ab adversariis conceditur.

Neque repugnat ex parte creaturæ; nam sicut non repugnat esse creaturas, quæ in æternum durabunt, ut animæ nostræ, ita non repugnat, creaturas aliquas fuisse ab æterno; neque enim mundus, si ab æterno fuisset, esset æternus æternitate Dei per essentiam, quæ consistit in esse à se vitæ interminabilis, quæ omnia simul complectitur, sed tantummodo in propria duratione, et, ut inquiunt, à parte ante cum dependentia ab alio, quemadmodum aliquæ creaturæ existent in æternum à parte post.

Non denique repugnat, et adversarii concedunt, *ex parte ipsius creationis*; quia creatio fit in instanti, ideoque non pendet à tempore, sed potest esse ante omne tempus. Ergo mundus, seu aliqua creatura potuit esse ab æterno.

Nunc videamus præcipuas adversariorum rationes.

143. Dicunt 1.º Creatio procedit à non esse ad esse, cum sit productio rei ex nihilo; nulla autem res potest non esse antequam sit; ergo etc.

Resp. In creatione, non esse rei creatæ non præcedit duratione, sed prioritate naturæ; quia scilicet res creata

(1) *De Trinit. L. 6. Cap. 1.*

non est à se ipsa, sed à Deo. Unde non potest ulla creatura esse Deo coæterna æternitate propria et essentiali, sed solummodo duratione æterna.

Dic. 2. Quod creatur initium habet, alioquin esset increatum; quod autem initium habet, ab æterno esse non potest; quia quod ab æterno est, semper est; ergo etc.

Resp. Dist. maj. Quod creatur habet initium originis et causalitatis, quia ab alio pendet suum esse, *conc.*; habet semper, seu necesse est ut habeat initium temporis, *nego*. Satis est, mundum habere originis et causalitatis initium, ut non dicatur increatum. Aliunde creatio *fit in instanti*.

Dic. 3. Posita creatione mundi ab æterno, infinita series dierum præterita esset; et sicut illud, quod præteritum est, *pertransitum* est, ita *essent jam infinita pertransita*, id quod absurdum est, quia *infinito non est transire*.

Resp. Hæc difficultas, quam aliunde ut unicam concludentem Tongiorgi habet, *non est cogens*, ut ait S. Thomas (1); nam infinita series, etsi non sit simul in actu, potest tamen esse in successione; quia sic quodlibet infinitum acceptum finitum est, quælibet igitur circulatio præcedentium transiri potuit, quia finita fuit; in omnibus autem simul, si mundus semper fuisset, non esset accipere *pri-mam*, et ita nec transitum, quia semper exigit duo extrema.

Dic. 4. Posita creatione mundi ab æterno, infinitis diebus, qui præcesserunt, alia novaque dies quotidie addetur, ac proinde infinitum esset capax incrementi, id quod notionem infiniti destruit.

Resp. Dist. Hæ dies sunt infinitum *secundum quid*, id est, infinitum, quod limitem undequaque non excludit, *conc.*; infinitum *simpliciter*, quod omnem limitem excludit, *nego*. Siquidem infinito *secundum quid*, cuiusmodi esset successio infinita præteriorum dierum, aliquam additionem fieri non repugnat. Nihil prohibet infinito ex ea

(1) Cont. Gent. L. 2. c. 38.

parte additionem fieri, qua est finitum. Ex hoc autem, quod ponitur *tempus æternum*, sequitur quod sit infinitum ex parte ante, sed finitum ex parte post, nam præsens est terminus præteriti. (1).

ARTICULUS TERTIUS.

DE MUNDI FINE AC PERFECTIONE.

DISPUTATIO 7.^a MUNDI FINIS QUIS ET QUALIS. MUNDUS ACTUALIS EST PERFECTISSIMUS, SED NON OPTIMUS POSSIBILIUM.—SOLVUNTUR LEIBNITII ET MALEBRANCHII SCRUPULA.

§. I.

144. Deum, qui sapientissimus est, in mundi creatione finem aliquem, illumque se omnino dignum intendisse, tanquam certissimum assumimus. Quinam autem hic fuerit, sequentibus assertionibus statuemus.

Dico I. *Dici nequit divinam voluntatem proprie ad agendum moveri fine, qui dicitur operantis.* Ratio est, quia actus divinæ voluntatis est ipsamet divina Essentia: cum autem divina Essentia non sit propter finem, neque divinæ voluntatis actus propter finem esse potest. Dixi *proprie*, nam nos concipere possumus, finem Dei operantis *ad extra* esse exercitium suæ infinitæ libertatis, quæ cum intrinseca Deo sit, imo cum sit ipsa Divina Essentia, in qua infinite se complacet utpote perfectio infinita, possumus impropre dicere, *finem* Dei creantis esse ipsius gloriam *intrinsecam*.

Dico II. *Dici tamen debet, Divinam Bonitatem esse Deo rationem volendi quæcumque extra se vult.* Ratio est,

(1) Conc. Sansev. *Elem. philosoph. Christ. Cosm.* cap. 7. art. 4.

quia illud, quod voluntas propter se ipsum vult, est unica ratio, qua cætera velit et appetibilia fiant; hic ultimus finis, cum propter se appetatur, est, ratio cur cætera appetantur. Atqui illud, quod Dei voluntas propter se ipsum, et necessario vult, est Ejus Bonitas. Ergo Divina Bonitas est unica ratio, quâ Deus vult, quæcumque extra se vult.

Hinc sequitur, ea omnia, quæ fiunt à Deo, ordinari ab ipso ac dirigi ad Divinam Bonitatem, tanquam ad finem ultimum. Itaque est in operibus Dei *finis operis*, id est, *quid ultimum, ad quod opus naturâ sua ordinatur*.

Dico III. Ordinantur ergo omnia ad Divinam Bonitatem, non ut aliquam perfectionem aut voluptatem illi conferant, sed ut divinas perfectiones manifestent. Ratio partis negativæ est: *primo*, quia Deus per Essentiam est perfectio infinita à se ipso perfectissime cognita, infiniteque amata, ideoque in se ipso infinite beatus: *secundo*, Divina Bonitas nullo modo dependet ab his, quæ sunt ad finem, nec quantum ad esse, nec quantum ad perfectionem aliquam, unde sequitur, Deum non velle alicui suam Bonitatem communicare ad hoc, ut sibi exinde aliquid accrescat; sed quia ipsam cōmunicare est illi conveniens. Dare autem non propter aliquod commodum ex datione expectatum, est actus liberalitatis (1).

Pars affirmativa, nempe *omnia ordinari ad Divinam Bonitatem, seu Divinas perfectiones manifestandas*, ita demonstratur. *Primo.* Se deposito bono Dei intrinseco, quod res contingentes et finitæ promovere non possunt, ut ex immediate dictis patet, non alio modo res hujusmodi ad Deum ordinari queunt, quam hoc, ut bonum ejus extrin-

(1) Consul. S. Thom. Sum. Cont. Gent. L. 1. c. 93. et ib. L. 3. c. 18. ait.: «Deus, qui est primum agens omnium rerum, non sic agit quasi sua actione aliquid acquirat, sed quasi sua actione aliquid elargiatur, quia non est in potentia, ut aliquid acquirere possit, sed solum in actu perfecto, ex quo potest elargiri.»

secum promoveant, id est, ut ille complexus Divinarum Perfectionum exterius per quamdam similitudinem et participationem manifestetur, cognoscatur et ametur; quod quidem non est ullum bonum intrinsecum ipsius Dei, sed extrinsecum, bonumque intrinsecum ipsarum creaturarum. *Secundo*: «In partibus universi, ita S. Thomas (1), unaquæque Creatura est *immediate* propter suum proprium actum, et perfectionem: secundo autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ, quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem: ulterius autem singulæ creaturæ sunt propter perfectionem totius universi: ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem, in quantum in eis pér quamdam imitacionem divina Bonitas repræsentatur ad gloriam Dei; quamvis creaturæ rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione, cognoscendo et amando. Et sic patet quod divina Bonitas est finis omnium corporalium.»

Et idem S. Doctor infra (2) ita demonstrat ultimum finem omnium esse Deum: «finis nonnisi in bono consistere potest; et sicuti finis particularis rei est quoddam bonum particulare, ita finis universalis rerum omnium est quoddam bonum universale. Atqui bonum universale est quod *est per se, et per suam essentiam bonum*; hujusmodi autem bonum aliquid ex iis, quæ mundum constituant, esse nequit, siquidem in tota universitate creaturarum nullum est bonum, quod non sit *particulare*, sive *participative* bonum. Ergo illud bonum, quod est finis totius universi, oportet quod sit extrinsecum à toto universo, nempe Deus.»

145. Jam vero hic finis, seu manifestatio Divinarum Perfectionum *absolute* à Deo intenditur et *efficaciter*; ita

(1) Sum. Th. 1. p. q. 65. a. 2.

(2) Ibid. q. 103. a. 2.

ut absolute impossibile sit, mundum divinæ gloriæ non inservire *in eo gradu*, quem Deus præfinivit. Dixi *absolute*, quia hic est finis rerum ultimus; et *efficaciter*, ita nempe ut Deus velit removere, aut superare impedimenta omnia; alioquin inordinate et insipienter ageret.

146. Res autem diversæ, pro suæ naturæ diversitate, finem hunc ultimum diversimode assequuntur. Creaturæ irrationales ad Deum *ordinantur ut in finem per viam assimilationis tantum*, nempe, *in quantum participant aliquid de Dei similitudine*; creaturæ autem rationales *super hoc habent ut ad ipsum Deum cognoscendum, et amandum sua operatione pertingant* (1).

147. Hinc jam intelligitur, cur finis, huic rerum universitati præfixus, esse dicatur divinarum perfectionum manifestatio (144. III.), ex qua *extrinseca gloria Dei exurgit*. Etenim res mundanæ, cum in eo, quod sunt, et in eo, quod agunt, aliquam similitudinem Dei pro modulo suo participant (37 seq.), præstantiam sui Opificis et Creatoris veluti impresso vestigio *necessario exhibent*, omnesque simul sua varietate et apta dispositione Sapientiam, Pulchritudinem, Bonitatem, aliasque Divinas perfectiones pandunt. Creaturæ autem rationales non solum in sui excellentia et pulchritudine excellentiam, pulchritudinemque Conditoris manifestant necessario, sed etiam, cum facultatibus cognoscendi et amandi Deum polleant, pro cæteris, ut ita dicam, Ejus perfectiones laudare, Ejusque Potentiae se libere subjicere tenentur, atque ita pertingunt ad ipsum per suam liberam operationem, beatitudinemque assequuntur; quod si abutentes sua libertate Deo subjicere se detrectent, gloriæ Dei nihilominus servient altero modo; quatenus nempe æterno supplicio justissime addictæ, divinam justitiam in se ipsis invitæ manifestabunt. Et sic ad absolutum rerum omnium finem et ipsæ rebelles necessario concurrent.

(1) Ita S. Thomas, Qq. Disp. De vero, q. 5. a. 6. ad. 4. et q. 20 a 4.

148. Ex his sequitur: 1.^o hominem esse *finem* secundarium, cui visibilis hæc rerum universitas inservit.

2.^o Cum hæc rerum universitas, quamvis ad Dei gloriam ut finem ultimum dirigatur, nullam ipsi intrinsecam gloriam afferat, sed ad commodum et voluptatem hominis dirigatur, sequitur, Deum amare hominem amore, qui dicitur benevolentiae.

§. II.

149. Cum perfectio alicujus rei dimetiatur *ex ejus fine, atque aptitudine et habilitate ad suum finem assequendum*, ex dictis jam patet quid de perfectione mundi sentiendum sit. Notandum est, quod non finis *operantis*, sed finis *operis* est, qui efficit *perfectionem rei*; igitur perfectio mundi existimanda est tum ex gradu, quo Divinas repræsentat perfectiones, tum ex aptitudine et habilitate Eas repræsentandi. Jam vero aptitudo et habilitas ad Eas repræsentandas perfectissimæ sunt, habetque mundus ea omnia simpliciter et absolute, quæ ad hunc finem in illa mensura à Deo determinata assequendum illi necessaria sunt, et efficaciter illum assequitur; alioquin Deus, infinita Sapientia et Potentia, vellet finem, et non vellet, aut non sciret, aut non posset media adhibere aptissima et simplissima ad illum assequendum, quod repugnat. Ergo hic mundus in suo genere, seu in eo, ad quod plasmatus est, est perfectus, id est *relate* ad finem, quem Deus ipsi prefixit (1). Verumtamen

150. *Mundus hic, quamvis in suo genere perfectus,*

(1) Quare S. P. Augustinus ait lib. L. cont. advers. Leg. et Proph. c. 14. «*Usque adeo desipiendum est, ut homo videat aliquid melius fieri debuisse et hoc vidisse Deum non putet? aut putet vidisse, et credat facere noluisse? aut voluisse quidem, sed minime potuisse? Avertat Deus hoc à corribus piorum.*»

non est, nec esse potest omnium possibilium perfectissimus, seu *optimus.* Etenim, etiamsi finis ejus, qui est manifestatio divinarum perfectionum optimus sit, tamen evidens est, quod hæc manifestatio suos gradus, ac limites necessario habeat. Ratio est, quia perfectiones divinæ sunt infinitæ, et nulos habent intensionis limites, atque ultimo gradu, seu supremo omnino carent, ac proinde posita quamcumque manifestatione, semper aliæ in infinitum majores, et excellentiores possibles supersunt; ergo hic mundus nec manifestat, nec manifestare potest divinas perfectiones, ita ut magis magisque manifestari absolute nequeant: ergo non *simpliciter*, sed solum in determinata quadam mensura, quam Deus libere præfinivit inter omnes possibles, illas manifestat.

Insuper, doctrina optimismi circa mundum destruit Dei *Omnipotentiam* et *libertatem* in operibus ad extra. *Omnipotentiam* quidem, quia si ponitur mundus actualis optimus, jam repugnat alius eo melior; ergo Dei Omnipotentiâ exhaustâ non potest quid amplius creare. *Libertatem*, quia si in suis operibus ad optimum tenetur Deus, ut unica ratio sufficiens juxta Leibnitium, jam non est locus *electioni*, sed necessario determinaretur. Hæc absurdâ sunt. Dicendum igitur Leibnitio, rationem sufficientem creationis mundi non extra Deum creatorem quærendam esse, quod est absurdum, sed in ipso Deo, in ipsa nempe sua Bonitate, quam libere vult extra se communicare ac manifestare.

151. Nec oggeratur progressistarum optimismus, id est, eorum, qui dicunt, mundum esse omnium possibilium optimum, non quod optimæ sint singulæ ejus naturæ, sed quod ipse, totus quantus est, à bono ad melius in infinitum progreditur (1). Etenim eadem difficultates, aut majores con-

(1) Leibnitius à difficultatibus adversariorum pressus, eo tandem devenit, ut theoriam suam de mundo optimo è continuo progressu :

tra hanc positionem urgent. Et re vera etiamsi daretur mundum esse in continuo progressu, ipse, cum non nisi finitæ progressionis capax sit, *Esse infinitum Dei modo finito semper manifestabit*, ac proinde alii multi eo præstantiores fieri possunt; repugnat enim non solum finitum maximum, sed etiam infinitum, quod numerari, aut mensurari quocumque modo possit, ut in *Ontologia* probavimus, (153. seqs.).

152. Sed insuper, continuus progressus in infinitum, quem ipsi mundo, prout totus est considerato, tribuunt, prorsus commentitius est. Etenim, cum mundus in tota rerum, ex quibus conflatitur, universitate consideratus non sit aliquid abstractum, sed ex diversis naturis rerum compositum, non potest aliter intelligi ipsum esse in continuo progressu, quam si ipsas naturas rerum in naturas præstantiores continuo transmutari admittatur, alioquin progressus non esset substantialis, sed accidentalis. Atqui repugnat naturas rerum ita progredi, ut aliæ in alias continuo trasmutentur; quia tunc non progressus mundi, sed annihilatio hujus, et alterius creatio induceretur. Ergo repugnat in mundo inveniri illum progressum, quem nuperi Optimistæ commenti sunt (1). Omittimus, ne longius abeamus, theoriam de mundo optimo recta ad pantheismum ducere.

derivaret, quam theoriam à Leibnitio præformatam Bouillierius, aliquè philosophi Galliæ nunc defendunt. Cæterum theoria de mundo optimo minime Leibnitii partus est; etenim Plato, ejusque de Schola Academicæ, Stoici etiam, atque primopilus Neoplatonicorum Plotinus, necnon media ætate Abælardus et Wiclef, Cartesio, Malebranchio atque Leibnitio hujus theoriæ patres præcesserunt.

(1) Cons. Sansever. Elem. phil. etc. Cosmol. c. 8. art. 1. et 2.

SECTIO SECUNDA.

DE EFFECTIBUS IN MUNDO, SIVE NATURALIBUS, SIVE
SUPERNATURALIBUS.

DISPUTATIO 8.^o QUID SIT NATURA, NATURÆ LEX, ET
RES NATURALIS; DE ORDINIS SUPERNATURALIS POSSIBILITATE,
AC DE LEGUM PHYSICARUN CONTINGENTIA ABSOLUTA, ET
CONSTANTIA HYPOTHETICA.

153. *Naturæ vox* à *nascor* derivatur, adeo ut ejusdem
naturæ esse participem, si vocis etymon spectamus, tanti
valet, quanti fuisse aliquem iisdem parentibus satum vel
editum in lucem. At progressu temporis deflexit *naturæ*
vox à primæva hac notione, mutiplexque significatio ipsi
colligata est.

Ac primo nomen *naturæ*, si stricte accipiamus, denotat,
ut in *Ontologia* dictum est, ipsam essentiam consideratam
prout est principium suarum operationum. Cum enim
nulla res propriâ destituatur operatione, si rem exprimimus
simul connotando ejus ordinem, seu ordinationem ad ipsius-
met propriam operationem, tunc ejus assignamus naturam.
Ex quo facile est intelligere discriminem, quod inter essentiam
et naturam intercedit. Nomen enim essentiæ denotat
rationem specificam rei, nempe id, per quod res est id
quod est, atque in sua specie constituitur: nomen vero
naturæ denotat *rationem dynamicam* ejus, v. gr. *hominem*,
prout est principium operationum sentiendi, intelligendi,
et libere volendi, quæ sunt propriæ humanæ speciei.

Itaque hoc sensu natura accepta describi solet, ut alibi

memoravimus, *entis ad certo quodam modo operandum dispositio atque tendentia* (1).

154. Hæc est prima et propria notio naturæ, sed huic voci aliæ significaciones subjiciuntur. Interdum enim significat ipsum operationum principium, quod rebus natura- libus insitum est; hoc sensu illam adhibent medici cum docent medicinam non efficere sanitatem in animali *per se*, sed ex eo quod *adjuvat naturam ejus*. Interdum etiam et frequentius utimur voce naturæ ad significandas causas naturales, prout hæc per propensionem sibi insitam aliquid agunt, sic dicitur: *natura nihil agit frustra: natura refutavit superflua, sed non denegat necessaria* (2).

155. Præter has speciales naturæ significaciones alia est, quæ hîc ad rem nostram facit, eaque est, quâ vox naturæ ad totam universitatem rerum creatarum significan- dam adhibetur, tuncque hâc voce duo significamus: 1.^o *Mundanorum corporum connexionem et ordinem*: 2.^o magis proprie: *Complexionem virium, quæ simul harmonice conspirantes, mundanarum vicissitudinum seriem certo ordine, ac lege efficiunt*. Et quoniam vires causarum se- cundarum à prima causa, tum in suo *esse*, tum in suo *operari* pendent, quibuscum etiam Deus operatur, non raro nomine *naturæ*, ipse Deus, naturæ auctor, intelligitur, præsertim apud antiquos Philosophos, qui ut Deum à rerum univer- sitatem discriminarent ipsum *naturam naturam*; univer- sitatem vero rerum *naturam naturatam* appellabant.

(1) Notandum autem est, essentiam, prout in individuo existit, inge- nitum sibi principium operationum suarum necessario includere, et natu- ram essentiam expostulare, sine qua ne concipi quidem potest, unde factum est, ut ab Aristotele, et post eum ab Scriptoribus Ecclesiasticis tum græcis, cum latinis voces *essentia*, et *naturæ* promiscue usurpa- rentur. *Consul.* S. P. August. *De Trin. lib. 7. c. 4.*; S. Anselm., *Monol.* c. 76.; Petavi. *De Deo*, lib. 1. c. 6. n. 15.

(2) Cons. S. P. Aug. *De ordine l. 1. c. 4.*

156. Leges naturæ vocant physici normas, secundum quas motiones in hac rerum universitate provenire, ejus auctor Deus statuit; quarum normarum existentiæ ratio sufficiens non est alia, nisi Dei voluntas. Seu, ut in logica diximus, lex naturæ: *Est modus constans et uniformis, quem agentia materialia in agendo servant*; qui agendi modus ideo lex dicitur, quia summi Opificis imperio rerum vires statutæ sunt, certisque normis subjectæ, atque ideo hujusmodi leges propositionibus quibusdam genericis efferrimus.

Hæ leges, quoniam inter varia corpora relationes quasdam constantes inducunt, *ordinem quendam* constituunt, seu *aptam dispositionem plurium ad assecutionem finis*, quæ apta dispositio *ordo naturæ* dicitur.

Eventuum vero consecutio secundum hunc ordinem *naturæ cursus* appellatur.

157. *Naturale* illud dicitur, quod vel ipsam naturam constituit, vel constitutam ex se concomitatur et sequitur vel necessario, vel contingenter. Duobus modis aliquid naturale dici potest: 1.º respectu alicujus determinatæ naturæ: 2.º respectu naturæ universæ. Primo modo naturale est: *id omne, cuius ratio sufficiens est in entis natura*; sic v. gr. naturale est homini esse *rationale*, quia ratio est nota ad hominis essentiam pertinens; naturale etiam est ei esse libertate præditum; esse sapiens; esse sanum etc. Illud necessario, hoc contingenter. Secundo modo naturale est: *quidquid est juxta cursum, aut ordinem naturæ universæ*.

Est autem secundum *naturæ ORDINEM*: *quidquid naturæ rerum convenit*; itemque *quidquid datis adjunctis fieri potest, aut debet viribus entium mundanorum juxta leges physicas*, v. gr. quod lapis sublato fundamento decidat; vel quod quædam corpora igne dissolvantur.

Est secundum *naturæ CURSUM*: *quidquid continetur inter eos eventus, quorum consecutio naturæ cursum*

constituit, ut quod verno tempore flores erumpant, vel quod certa quadam hora cras sit oriturus sol.

158. Naturali, prouti dicitur respectu alicujus naturæ *particularis*, opponitur diversimode *voluntarium*, *violentum*, et *artificiale*: et secundum hanc oppositionem diversimode specificatur *naturalis* significatio. Versatur autem tota hæc oppositio circa rei mutationes, et motus.

1.^o Voluntarium est: *quod fit cum cognitione finis*, ac propterea non est per solam entis naturam determinatum ad unum.

2.^o Violentum est: *id omne, quod ab extrinseco rei accidit contra naturæ propensionem*, seu repugnante natura.

3.^o Artificiale est: *id omne, cuius principium non est naturæ insitum*, quemadmodum est in marmore figura alicujus Sancti, in horologio indicis motus, etc.

159. Naturali, prouti dicitur respectu naturæ *universæ*, opponitur *fortuitum* et *supernaturale*, sed diversimode. Fortuitum opponitur naturali, quatenus naturale dicitur id, quod est secundum naturæ *cursus*; supernaturale vero quatenus naturale significat id, quod est secundum *ordinem naturæ*.

Fortuitum igitur est: *id, quod in cursu naturæ non per se continetur, sed per accidens*, quia provenit ex concursu causarum, quæ sunt quidem in naturæ ordine, sed quarum operationes non sunt à natura coordinatæ inter se, aut subordinatæ. Hinc dicimus fortuitum raro contingere (1).

Supernaturale est: *omne id, quod totius naturæ creatæ proprietates, viresque prætergreditur, ac superat*. Potest aliquid superare, ac prætergredi universæ naturæ creatæ *exigentiam*; ut v. gr. elevatio naturæ humanæ ad unionem hypostaticam cum Verbo Dei, gratia santificans; vel solum *vires universæ naturæ*, ut mortui resuscitatio; vel etiam

(1) Salv. Tong. loc. Cit.

potest aliquid superare tantum vires naturæ corporeæ secundum cursum ejus, ut v. gr. murorum Jericho eversio, occisio Ægyptiorum puerorum, cædes Assyriorum militum sub duce Sennacharib.

Primum est supernaturale *quoad ipsam sui essentiam*; secundum et tertium est supernaturale *quoad effectiōnem*, et dicitur *miraculum*, quod jam appetet varios habere gradus, ut mox videbimus.

160. Hic sedulo notandum est contra Giobertum (1) aliosque naturalistas: supernaturale, prouti naturali opponitur, non esse accipiendum *relative*, hoc est; pro eo ut una natura creata est alterâ superior, sed *omniō absolute*, hoc est, prout omnem naturam creatam excedit. Itaque quamvis natura angelica sit humanâ major, excellentiore, non tamen inde ipsa est dicenda supernaturalis, quia ambitu rerum creatorum continetur (2).

Jam sicut *ordo naturalis* in iis omnibus versatur, quæ ambitu naturæ continentur, sive hæc sint substantiæ, sive vires, quibus substantiæ intra genus suum sese explicant, ac perficiunt; ita *ordo supernaturalis* ea omnia complectitur, quæ omnem vim naturarum creatorum prætergreduuntur, naturasque ipsas ultra genus suum perficiunt.

161. Jam vero iis præjectis investigandum nobis foret

(1) Teoria del sovrannaturale. Not. XLV. et Filosof. della Rev. §. 3.

(2) S. Thomas notionem *supernaturalis* multis loquendi modis expressit, qui ipsam mirifice declarat. *Supernaturale* enim esse dixit: (*cont. Gent. L. 3. c. 147.*) *id, quod naturalem facultatem excedit*. Et ibidem paulo infra vocat *supernaturale id, quod excedit proportionem naturalis virtutis*: item; *quod transcendent facultatem naturalium potentiarum*. (In *Sum. th. 1.^a 2.^æ q. 112 a. 1.*) dicit *supernaturale, quod est supra naturam cuiuslibet creaturæ*. (Item in *Sum. Cont. Gent. c. 147. n. 3.*) *quod est ex Dei virtute*. (Et iterum *1.^a 2.^æ q. 114 a. 2.*), *quod est creatæ naturæ superadditum*; (et *ibid. q. 119. a. 1.*), *quod exterius accedit, opponitur et superadditur*.

utrum in mundo ordo naturalis existat, sed tamen cum tum ex dictis Disputatione 3.^a, tum ex dicendis cum agamus de Divina Providentia, cumque aliunde vel paulisper universum contemplanti evidenter constet, esse in mundo admirabilem prorsus ordinem jam particularem, jam universalem, quibus omnia à Deo sapientissimo ad subordinatos fines, iisque mediis ad ultimum diriguntur finem, superfluum videretur in hoc probando immorari, itaque tantummodo possibilitatem ordinis supernaturalis hic breviter statuemus.

ASSERTIO. *Præter ordinem naturalem, hocque incolume, possibilis est ordo supernaturalis.*

162. Demonst. Illud est possibile quod nulla ex parte repugnat. Atqui ordinem supernaturalem conjungi cum ordine naturali nulla ex parte repugnat. Ergo etc.

Prob. min. Ordinem supernaturalem conjungi cum ordine naturali non repugnat neque ex parte *Dei*, neque ex parte *rerum creatarum*, neque ex parte *ordinis à Deo creati*; hæc autem sunt, quæ possibilem faciunt ordinem supernaturalem; ergo etc. (1).

Prob. ant. Et sane primo non repugnat ex parte *Dei*; nam Sapientia, et Potentia *Dei* creatione naturæ non exhauiuntur, et aliunde libere condidit naturalem ordinem, proinde Deus rebus à se libere creatis perfectionem largiri potest majorem eâ, quam earum natura expostulat, ita ut actiones nativis suis viribus superiores exercere queant. Secundo nec repugnat à parte *rerum creatarum*; hæc enim potentiam obedientialem (2) à *Deo* acceperunt, ut valeant ea in se recipere, vel agere, quæ facultates earum naturales

(1) Loquimur hic dumtaxat de possibiliitate ordinis supernaturalis, quod est Philosophi munus, inquirere autem utrum, nec ne ordo supernaturalis in mundo à *Deo* constitutus sit ad *Theologos* pertinet; quodque aliunde certo supponimus.

(2) Cons. S. P. Aug., *De Genes. ad Litt. lib. 9. cap. 17. et 18.*

prætergrediuntur. Nec demum repugnat *ex parte ordinis à Deo creati*; nam ordo supernaturalis ordinem à naturali distinctum servat, et ipsum naturalem, non solum non perturbat, quin potius perficit ac nobilitat, quia naturas rerum ad actiones superioris ordinis exerendas aptas reddit. Ergo etc.

Id ipsum confirmatur consensione unanimi omnium populorum; omnes enim populi agnoverunt communicacionem Dei cum hominibus; hinc spes, aut metum sortis futuræ; hinc preces, et sacrificia; hinc honor, amor et reverentia erga omnes, qui Dei nomine missi dicebantur etc.; ergo si, ut ait Tertullianus, *quod est apud omnes unum, non est inventum, sed traditum*, concludendum est contra pantheistas cæterosque incredulos progressistas, ordinem supernaturalem cum ordine naturali hoc incolumi optime conjungi posse (1).

163. Quoad constantiam vero, et absolutam contingitiam legum naturalium, ut huic disputationi, quæ jam nimis longa vobis videbitur, finem imponamus sit sequens

PROPOSITIO. Leges naturales, seu physicæ relatæ ad Deum sunt absolute contingentes; relatæ vero ad se ipsas, et ad quascumque creatas vires necessariæ sunt.

164. Antequam vero propositionem demonstrandam aggrediamur notandum est id, quod jam supra subindicavimus, scilicet, *mundum quibusdam legibus contineri*, secundum quas mundanæ res actiones suas constanter eodem modo exerunt. Et profecto evidentissimas leges et minerale regnum et vegetale et animale habent; et in iis unaquæque classis, familia, genus, species, imo singulæ viventium partes, singula organa iisdem invariabiliter elementis constant, eadem figura, eodem ornatu, iisdem qua-

(1) Consul. M. Ravignan, Conferencia sobre el orden sobrenatural.; P. Lacordaire, Conf. del año 1849.

litatibus sensibilibus distinguuntur, easdemque ad cætera corpora relationes servant. Sed hoc ultiro, quoniam apud omnes in comperto est, omnes fatentur. Hinc homines de rebus futuris provident, de agendis consilia ineunt, rationemque vitæ suæ instituendæ decernunt. Cui persuasiōni debentur omnes artes, et scientiæ, quæ ad tuendam, ornandamque vitam ab hominibus institutæ fuere. Hinc omnes physicæ disciplinæ.

165. Demonstratur nunc propositio quoad utramque partem. *Leges naturales, seu physicæ relatæ ad Deum sunt absolute contingentes.*

Est hæc pars contra pantheistas, fatalistas et nuperos materialistas.

Vires et efficacia causarum naturalium est finita, et undequaque circumscripta ad certos et determinatos effectus; virtus autem et efficacia Dei est infinita, nullosque limites habet nisi intrinsece contradictoria; ergo vel præter, vel contra, vel supra vires, et efficaciam omnium causarum creatarum potest Deus efficere quidquid velit, dummodo contradictionem non involvat. Atqui nullam intrinsecam contradictionem involvit causas naturales, seu physicas: *vel mutari, et contrarios effectus producere*, quia sicut Deus liberrime eas condidit, constituit, ac gubernat, ita penes ejus liberrimam voluntatem est aliter constituere, ac gubernare: *vel nullum effectum producere*, quia cum nihil agere possint sine Dei conservatione et concursu, ut in Theologia probabimus, si Deus hoc subtrahat, jam erunt quoad effectum quasi non fuerint, nihil: *vel producere superiorem effectum, quam patitur earum efficacia*, nam cum earum virtus quibusdam limitibus circumscribatur, ultra quos sese non explicat earum efficacitas, potest Deus, cuius virtus infinita est, cuique omnia subduntur, suo concursu majorem ad agendum virtutem illis addere, ac tunc proculdubio consuetos fines transgredientur, et effectus parient insuetos; potest etiam Deus sua infinita

virtute virtutem finitam causarum secundarum elidere variis mirisque modis, et tunc permanente earum virtute nihil tamen efficient. Ergo etc.

166. Præterea. Leges naturales, seu physicæ non diminant necessario ex ipsis rerum essentiis, multoque minus eas constituunt, sed, iis suppositis, diminant ex earum mutua actione, ordine, conjunctione etc.; v. gr. ex eo, quod quædam substantiæ simul componantur; quod hoc aut illo modo elementares atomi disponantur majori, minorive numero; quod motus vel molecularis, vel translatitius hanc vel illam directionem majori, minorive velocitate recipiat; quod quædam substantiæ ab aliis adsimilentur; quod organis quædam substantiæ instruantur; quod animâ sive sensitivâ tantum, sive rationali etiam informentur, etc. Atqui hæc omnia contingentia sunt, atque dependencia à nutu primæ omnium causæ et gubernatoris Dei. Ergo relatæ ad Deum leges physicæ sunt absolute contingentes.

167. *Demonst. 2.^a pars, nempe; leges naturales, seu physicæ relatæ ad se ipsas, et ad quascumque creatas vires sunt necessariæ.* Est hæc pars contra Atomistas, Cartesium etiam atque Humium.

Leges naturæ sunt modi constantes atque uniformes, quibus res naturales, supposita earum natura, operantur, ac proinde ipsæ operationibus rerum naturalium consenteæ esse debent. Atqui operationes rerum naturalium sunt necessariæ, quia naturæ rerum, quæ sunt illarum principium, et subjectum (1), vi electionis destituuntur.

(1) Operæ pretium est in mentem revocare, ne in contradictionem incidere videamus ad ea, que supra (165) dicta sunt, quid sit rei essentia; essentia est *id per quod res est id quod est, et in speciem constituitur*. Jam vero ex rei essentia nonnullæ sequuntur necessariæ proprietates ab ipsaque inseparabiles, ut v. gr. in homine facultates ratiocinandi, volendi etc.; aliæ vero sunt, quæ quamvis essentia sit earum principium et radix, non tamen ab ea necessario diminant; tales sunt quæ ibidem memoravimus, et quæ virtute supernaturali variari et avelli possunt.

Ergo leges, quibus mundus gubernatur, si in se spectentur, necessariæ et determinatæ sunt.

168. Præterea, leges naturæ ita à Deo constitutæ sunt, ut ordo, harmonia et pulchritudo, insuper et utilitates, quæ ex eis hominibus subveniunt, Ejus infinitas perfectiones, prouti Ipsi placuit, manifestarent, quod est earum ultimus finis, quem Deus *efficaciter et absolute vult*. Ergo nisi aliqua ratio sufficiens. Deoque digna superveniat, illa pulchritudo, harmonia et ordo à nemine agenti creato subverti possunt. Ergo leges naturæ relatæ ad se ipsas et ad quascumque creatas vires necessariæ sunt.

169. *Corollaria.* 1.º Ex iis, quæ demonstravimus, perspicitur, necessitatem legum naturæ non esse hujusmodi, ut oppositum earum sit absolute impossibile, sed in eo dumtaxat consistere, quod si res naturales secundum suam naturam operentur, non nisi secundum illas leges operari possunt (1).

2.º Hæc duo principia esse à priori scilicet: 1. *Causæ necessariæ, positis requisitis ad agendum, necessario agunt, nisi impedian tur virtute Divina.* 2.º *Divina sapientia postulat, ut constantibus legibus utatur in mundi administratione, utque causarum naturalium effectus vel nunquam, vel rarissime impedit ob rationem se dignam.*

3.º Constantia legum physicarum in particulari *per se* physice tantum certa est. Nam si de certitudine objectiva sermo est, hæc supponit effectum, de quo agitur, ex naturæ lege fieri; si vero de certitudine subjectiva, hæc supponit legem naturæ, ea de re, experientiâ et inductione cognitam fuisse.

4.º Certitudo de constantia legis alicujus in hoc, aut illo futuro casu est physica *hypothetica*; implicitam enim habet conditionem illam: *nisi per divinam virtutem legi fiat exceptio*; quæ exceptio in casibus peculiaribus non re-

(1) Cons. S. P. Aug., *De Genis. ad litt. lib. 4. c. 3.*, et lib. 9. c. 17.

pugnat. Quapropter imperite prorsus obganniunt contra hujusmodi exceptiones miraculorum oxores constantiam legum physicarum, quasi essent simul et non essent. Sed de iis infra, interim dicta attente considerate.

DISPUTATIO 9.^a DE MIRACULI NOTIONE, SPECIEBUS ET GRADIBUS.

170. *Miraculum*, ut à nomine ordiamur, à *mirando* dicitur; dicitur enim aliquid miraculum quasi admiratione plenum, habensque in se vere ac simpliciter admirationis causam. Duo autem sunt, quæ admirationem gignunt: 1.^o ut causa ejus, quod nos percellit, sit occulta: 2.^o ut in re, in qua fit, aliquid ipsi repugnans esse putetur. Jam vero utrumque duobus modis contingere potest.

Etenim primo, causa eventūs, quem admiramur, vel est occulta *secundum se*, id est, ejusmodi, ut omnes lateat; vel occulta *quoad nos*, id est, ejusmodo, ut non ex natura sua, sed ex parte ignorantiae nostræ lateat, ideoque quosdam solum latet.

Pariter, secundo, in re, in qua aliquid admiramur, quandoque est dispositio ad oppositum, et aliquid repugnans eventui *vere* et *secundum rei naturam*, ut v. gr. fluctus aquarum resistere pedes calcantis, ne demergatur; quandoque autem hæc dispositio ad oppositum et eventui repugnantia est tantummodo *apparens et in opinione admirantis*, ut v. gr. cometarum cauda, vel solis eclipsis.

171. Jam vero si causa eventūs, quem admiramur, est *secundum se* occulta, atque in re, circa quam ipsa versatur, est contraria dispositio ad ipsum producendum, eventus est illud, quod *miraculum* vere ac proprie vocatur: hæc autem causa est Deus, quippe qui in rebus *omnibus secretissime* operatur, ideoque est causa *occultissima*, et *remotissima à nostris sensibus*, atque Ipse tantummodo in rebus operari potest aliquid, ad quod res non sunt comparatæ.

Sin vero causa eventū non omnibus et ex natura sua, sed quibusdam dumtaxat et per accidens sit oculta, neque in re sit aliquid, quod ei vere repugnet, sed solum secundum *opinionem*, seu apparenter, effectus erit *mirabilis*, seu *prodigium* et tale vocatur, non autem proprie miraculum (1).

172. Miraculi adæquatam notionem hi conceptus constituant; 1.^o effectus *sensibilis*; 2.^o *insolitus*; 3.^o *supernaturalis*, ideoque ut ad Deum perducat. Effectus *sensibilis*, nempe ut sit, vel possit esse omnibus manifestus, vel *secundum se*, vel in *suis effectibus*, ut fuit v. g. scientia Apostolorum, alioquin miraculum causa finali careret. *Insolutus*, id est, ejusmodi, ut *excludat solitum cursum naturæ*; hinc est, quod quamvis majus miraculum sit mundum sustentare ac regere, ex semine flores et fructus germinare, quam quinque millia hominum quinque panibus et duobus piscibus pascere, tamen hoc, et non illa, miraculum appellatur (2) *Supernaturalis*, id est, qui vires totius naturæ crea-

(1) Hic verumtamen nobis occurrit quorundam opinio, quam memorat Benedictus XIV. (in eminenti opere, quod inserbitur: *De Servorum Dei Beatific. et Canonizatione*, l. 4. p. 1. c. 1. n. 14.) his verbis. «Ex his autem inferri posse videtur, effecta insolita et admiranda, quæ excedunt vires, et facultatem naturæ creatæ, visibilis et corporeæ, nobis notæ, *miracula esse*, etsi non excedant vires et facultatem naturæ invisibilis et incorporeæ; miracula, inquam. minora miraculis, quæ excedunt vires et facultatem naturæ non modo visibilis, et corporeæ, sed invisibilis et incorporeæ» Habemus igitur juxta hanc opinionem, miracula etiam vocari posse nonnulla facta mirabilia et stupenda non contenta in ordinario naturæ cursu, quæ interdum effici possunt ab Angelis. Sed 1.^o hæc nunquam erunt miracula quoad rei *essentiam*, et si tantum ratione *modi*; 2.^o Cum Angeli sive boni, sive mali Dei absoluto imperio et nutui subjecti sint, nihil hoc obstat.

(2) Cum dicimus *insolitum*, ut advertit S. Thomas (in l. 2. sent. Dist. 18. q. 1. a. 3. ad 2.), non significare volumus *raritatem facti*, sed excludere solitum cursum naturæ, unde si quotidie cæci illumina-

tæ prætergreditur, ita ut nulla creatura ipsum efficere valeat, alioquin jam intra ambitum naturæ contineretur. Addidi *ideoque ad Deum perducat*, nam cum opera entis intelligentis sint signum ejus voluntatis, miracula, quorum causa efficiens solus Deus est, non possunt non patefacere nobis ejus sanctissimam voluntatem.

173. Nunc jam possumus Miraculum definire, ac ejus varios determinare gradus.

Itaque, omissis hominum impiorum deliramentis, quæ ad trutinam revocare forsitan non minus deliramentum esset, nos S. Thomæ, et omnium catholicorum Philosophorum vestigia pede post pedem terentes, miraculum ita definimus cum eodem S. Thoma (Sum. Th. 1. p. q. 110. a. 4.) *quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ*, id est, effectus, qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit; vel, (ut in sum. Cont. Gent. l. 3. c. 101.) suam explanat sententiam, *illa simpliciter miracula dicenda sunt, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus.*

174. Hanc definitionem veram esse ita demonstrari potest. Miraculum proprie acceptum (1), cum sit aliquid vere mirabile, ac maxime mirabile, illud est dicendum, in quo duo illa, quæ admirationem gignunt, maxima sunt, vide-

rentur, nihilominus miraculum esset, quia præter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingenteret. Hinc cræatio animæ humanæ miraculum dici non potest, quippe quod, quamvis vires totius naturæ supereret, tamen non est, ut ait Benedictus XIV. (op. cit. l. 4. c. 1.) præter ordinem naturæ, cum fiat juxta rerum conditionem.

(1) Nos non latet singularis opinio Houttevillii et Caroli Bonneti de miraculi natura, juxta quos miraculum, non est nisi eventus mirus et stupendus ex incognita sed naturali legum harmonia ac temperatione profectus, quod tamen miraculi nomen sortitur, ex eo quod hæ leges illum effectum producant occasione accepta ab aliqua naturali causa superveniente; v. gr. causarum series, quæ à mortuis Lazarum exsuscitarunt, jam ab initio disposita fuerat, eo tamen ordine, ut causæ

licet, in quo causa est *occultissima*, et effectus est ei, qui contingere debere videretur, *maxime oppositus*. Sed causa *occultissima* est Deus, qui totæ naturæ infinite præcellit; effectus autem ei, qui contingere deberet, vere ac maxime *oppositus* ille est, qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit. Ergo miraculum proprie acceptum est effectus, qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit, seu quod divinitus fit præter ordinem communiter servatum in rebus.

Licet enim Angeli intra ambitum naturæ creatæ continentur, cum tamen nihil efficere possint absque Dei vel

operaturæ non essent, nisi adveniente Christo ad sepulchrum et clamante: *Lazare veni foras*. Differunt autem inter se hi Philosophi in eo, quod Houttevillius unum tantum ordinem causarum admittit, sensu exposito; Bonnetus vero duos ordines admittit ab initio constitutos, unus à quo ordinarius et communis cursus eventuum procedit, alter à quo insolitus et extraordinarius exurgit. Sed horum positio à vero longissime abest. Et revera, primo hæc theoriæ in arbitrariis hypothesibus totæ innituntur, ut primo patet intuitu, quæ nec probantur, nec probari possunt; quis enim serio affirmet, cum Christus super aquas ambularet, lege naturæ factum esse, ut fluctus calcantis vestigiis resisterent, veluti solidæ et duræ rupes? Deinde falso affirmaretur, Deum miracula patrassse ad vocem, orationem etc. aliquorum Sanctorum in confirmationem suæ doctrinæ, innocentiae etc., tunc enim non miracula, sed id solum admirationi esse posset, tam certis præsensionibus eorum animos ductos fuisse, ut tunc miraculum à causis naturalibus peterent, cum ex earum legibus edendum erat; quod nescio quid doli, ac præstigiarum speciem præ se fert. Insuper quis dicat Baalami Prophetæ asinam legibus naturæ loquutam fuisse, et ejus crudelitatem improbasse? (Numer. 22.—28.) Denique, multa sunt miracula, vel prodigia, quæ in hac sententia explicari non possunt, quæque in effectibus accuratissimam produnt electionem, velut cum omnes Ægyptiorum primogeniti una nocte occisi sunt, salvis Hebræis, qui cum illis versabantur. (Exodus 12.-23. seq.). Postremo hæc opinio conceptum miraculi destruit, et dat incredulis et fatalistis, quod maxime ipsis negandum est; Deum non posse destruere leges naturæ.

præcepto, vel permissione, semper verum erit, etiam in opinione eorum, qui miraculum vocant illa prodigia, quæ ab Angelis effici possunt, miraculum esse id, *quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ*, sive ratione *sui*, seu hujus quod fit, sive ratione *subjecti*, sive ratione *modi*; præ oculis tamen habendum est, naturam corpoream *non obediens Angelis ad nutum*, seu ipsis non inesse naturalem potestatem quæcumque voluerint, immediate efficiendi in natura corporea, id est, quascumque in corpora quælibet formas essentiales inducendi, hoc solummodo Deo competit, ut ait S. Thomas (1); ideoque Angeli tantummodo possunt ad Dei nutum corpora movere, activa passivis applicare, et alia hujusmodi, et ita varias formas accidentales inducere.

175. Veniamus nunc ad miraculorum *species*, seu *gradus*. Nullo modo hos exponemus melius, quam ipsis S. Thomæ verbis in Sum. Th. p. 1. q. 105. a. 8.; cum ipse tamen in fine articuli indicet, hos ipsos varios habere subgradus, si ita loqui fas est, ad calcem apponemus, aliam ejusdem divisionem traditam in Sum. Cont. Gent. l. 3. c. 101. et præsertim Qq. Disp. De pot. q. 6. a. 2. ad 3.

Jam en clarissimi Doctoris verba: «Excedit aliquid facultatem naturæ tripliciter; uno modo quantum ad substantiam facti (*quantum ad id quod fit*), sicut quod duo corpora sint simul, (*in eodem loco*), vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest, et ista tenent summum gradum in miraculis (2).

(1) Sum. Th. 1. P. Q. 110. a. 2. ad 2.; Item. Q. 91. a. 2.; it. Q. 105. a. 1. ad. 1., Cons. S. P. Aug., De Trinit. L. 3. c. 8.

(2) Quod mare divisum transeuntibus inter præbeat. Et inter haec etiam ordo attenditur; nam quanto majora sunt illa, quæ Deus operatur, et quanto magis sunt remota à facultate naturæ, tanto miraculum majus est: sicut majus est miraculum quod sol retrocedat, quam quod

«Secundo aliquid excedit facultatem naturæ non quantum ad id quod fit, sed *quantum ad id, in quo fit*, sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum, et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, et potest præstare visum, sed non in cæco, et hæc tenent secundum locum in miraculis (1).

«Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ *quantum ad modum et ordinem faciendi*. Sicut cum aliquis subito per virtutem divinam à febri curatur, absque curatione et consueto processu naturæ in talibus; aut cum statim aër divinâ virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ; et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis (2).» Nihil sane clarissimus, aut ordinatius dici poterat.

176. Ex hactenus disputatis jam statuere possumus:

1.º Non id omne, quod sola virtute Divina fieri potest, esse miraculum proprie dictum, sed id tantummodo, quod sola virtute Divina fit in rebus illis, in quibus secundum naturæ creatæ ordinem oppositum contingere deberet.

2.º Quapropter creatio rerum ex nihilo in tempore, vel cum tempore miracula propria non sunt. Nam creatio ex nihilo non pertinet secundum naturæ ordinem ad aliquam

mare dividatur. Sum. Cont. Gent. l. c. Hæc miracula vocat (in disp. de potentia l. c.) *supra naturam*, eo quod natura nullo modo hæc facere possit: *contra naturam* vero vocat, si insuper sit in natura dispositio contraria effectui, quem Deus operatur, ut retrocessus solis, divisio aquarum Jordanis, tres pueri non comburi in camino ignis.

(1) Inter hæc etiam miracula gradus attenditur secundum quod id quod fit, magis est à facultate naturæ remotum. (Sum. Cont. l. c.). Hæc sunt *supra naturam* (De pot. l. c.)

(2) Hæc sunt miracula *præter naturam*, (De pot. l. c.) Cum notum sit illa esse effectum, quem natura potest quidem producere, sed non in illo modo, quo revera producitur, ut, *præter dicta*, fuit Ægyptum repente rapis scatere.

aliam causam, præter Deum. Creatio, apposite ait S. Thomas (1), et justificatio impii, etsi à solo Deo fiant, non tamen, proprie loquendo, miracula dicuntur: quia non sunt nata fieri per alias causas; et ita non contingunt præter ordinem naturæ, cum hæc ad facultatem naturæ non pertineant.

Quare vocem miraculi late, non proprie et stricte accepisse dicendus est S. P. Augustinus, ubi ait: *Miracula omnia, quæ fiunt, minora sunt, quam hic mundus, quem fecit Deus.* (De Civ. Dei l. X. c. 12.) necnon ubi inquit: *Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus.* (Tract. XXIV. in Johan. c. 6.)

3.^o Hinc patet discrimen miraculi à miro. Mirum enim est quidquid insuetum est in naturæ sensibilis cursu, quod tamen aliquando contingit; vel quia quædam activa quibusdam passivis ab homine conjunguntur per artem vulgo occultam; vel quia agens creatum sed occultum res quasdam movet, aut naturæ sensibilis vires applicat, impedit, determinat. Mirum itaque nec ordinem naturæ creatæ, nec facultatem excedit.

4.^o Patet quoque discrimen miraculi à præstigio. Præstigium enim est mera illusio per immutationem à *vi aliqua intelligente et invisibili* effectam in organis sive sensuum, sive phantasiæ. Hoc quoque naturæ creatæ vires non superat (2).

(1) *Sum. Th.* l. p. q. 105. a. 7. ad 1.

(2) Non desunt notæ, quibus miracula veri nominis à mirabilibus discernantur. Etenim illa ab istis distingui possunt non solum ex comparatione eventuum cum exploratis naturæ legibus, sed etiam 1.^o ex ingenio indoleque ejus, qui miraculum, vel mira operatur, num sit pietate, animique dimissione insignis, necne: 2.^o ex modo operandi, scilicet num omnia, quæ miraculum concomitantur redoleant religionem, gravitatem, et modestiam nihilque superstitionis, et ridiculi præ se

5.^o Atque hinc ulterius intelligitur quantum differat miraculum *ab opere magico*.

Magia enim est ars mira patrandi sive per occultas naturæ vires, sive per occultam industriad, sive malorum spirituum interventu (1). Prima et altera magiæ ratio dicuntur *naturalis*, tertia *diabolica*.

177. Denique, cum alia communis miraculorum divisio sit in *supra naturam*, *contra naturam*, et *præter naturam*, vos monitos volui, illud, quod dicitur *contra naturam*, non proprie et stricte accipiendum esse sed improprie et lato sensu; nam, ut ait S. P. Augustinus: *Creator, et Conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod Ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, et ordo naturæ* (2). Et alibi: *Quomodo est contra naturam, quod fit Dei voluntate, cum voluntas tanti conditoris conditæ rei cujusque natura sit?* (3).

Nihilominus ipse S. Pater docuit, miracula etsi re ipsa non sint contra naturam, tamen quodammodo dici posse contra naturam, quia sunt iis contraria, quæ in rerum natura inveniri quotidie experimur: *Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura* (4), intelligite de naturis par-

ferant, ut evenit in mesmerismo, somnambulismo et spiritismo: (cons. Jo. Perronem in *præclaro op. de iis aberrationibus*. Ratisbonæ 1866). 3.^o ex fine tum operis, cum operantis, hoc est, num opus ad cultum Dei promovendum, hominumque corda amore Dei inflammanda spectet, et num operans gloriam Dei unice quærat, an propriam gloriam, et lucrum aucupetur: 4.^o ex præstantia et duratione effectus, quia opera Dei sunt firma, præstigia cito evanescunt. Cons. *præcl. op. cit. Benedicti XIV. lib. IV. C. 4.*

(1) Cons. S. Thom. Sum. Cont. Gent. l. 3. cap. 103. et seq.; Perr. op. c. sectio. 2. Cap. IV.—VI. et VII.

(2) *De nat. boni cont. Manich. c. 3.*

(3) *De Civ. Dei l. XXI. c. 8.*

(4) *Cont. Faust. lib. XXVI. cap. 3.*

ticularibus; contra naturam universalem usque nunc nihil evenit, hoc importaret hujus modi destructionem.

Cum hæc Disputatio, non eo obstante quod, nec vestros teneros animos plus æquo gravaremus, tantummodo facilitiora et necessaria attingimus, nimis protrahatur, reliqua ad sequentem mittimus.

DISPUTATIO 10.^a DE CAUSA EFFICIENTI ET FINALI MIRACULORUM.—DE EORUM POSSIBILITATE ET COGNOSCIBILITATE. CRITERIA AD EA DISCERNENDA.

178. Ex hactenus traditis in duobus hisce ultimis Disputationibus satis superque manifestum apparet, tum *solum Deum esse causam efficientem miraculorum*, cum *ipsius miraculi causam finalem positam esse in eo, quod sit tanquam signum, quo Deus utatur ad suam hominibus voluntatem patefaciendam*, aut amorem et benevolentiam suam erga innoxios, aut iram in protertos.

179. Primum ita confirmari potest. Omnis finita virtus intra naturalis ordinis ambitum continetur. Quidquid ergo quæcumque virtus finita suis viribus efficiat, hoc utique potest mirum esse ei, qui vel ignoret ejusmodi virtute id effici, vel virtutem hanc non comprehendat, per se tamen non est effectus, qui naturæ ordinem ac facultatem excedat. Ii igitur effectus, qui naturæ universæ ordinem ac facultatem excedunt, sola Dei virtute effici queunt; sola enim Dei virtus supra naturæ ordinem est, viresque omnes naturales exsuperat.

180. Hinc tamen non negatur, bonos spiritus miracula proprie dicta facere posse, sed tunc ipsi non faciunt miracula, ut causæ principales et vere efficientes, sed solummodo tanquam Dei instrumenta ac ministri, ut fuerunt etiam sancti homines ad quorum desiderium Deus miracula facit. Hoc autem de malis spiritibus dici nequit, *quorum est tota voluntas ad malum*, unde si aliqua potestas ipsis da-

retur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret (1).

181. Secundum vero, id est, *causam finalē miraculorum esse, ut sint signum voluntatis Dei*; ita confirmari potest. 1.^o Ex consensu omnium populorum, qui semper in monstris et prodigiis quoddam Divinitatis sigillum agnoverunt, et quæcumque miraculo confirmarentur, tamquam ipsius Dei testificatione firmari arbitrati sunt; quia naturale est homini, ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat; cum autem quæ sunt fidei humanam rationem excedunt, non possunt per humanas rationes probari, unde oportet quod probentur per argumentum divinæ voluntatis, ut dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credatur, ea quæ dicuntur esse à Deo: sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse, quod in illis continetur (2).

2.^o Confirmatur ex ipsa rei natura. Nam miraculum, ut ex dictis patet, est operatio Divina. Atqui operatio est voluntatis signum; voluntatis enim intentio dignoscitur ex naturâ atque operationis adjunctis. Ergo cum miraculum fit in alicujus v. gr. seu favorem, seu punitionem, per hoc ipsum ostenditur Dei in illum benevolâ voluntas, vel ira. Ac tunc præsertim cum Dei nomen invocatur, ut vel innocentiam, vel sanctitatem alicujus hominis, vel doctrinæ traditæ veritatem confirmet, si revera miraculum fiat, quis neget, velle Deum, ut res, de qua agitur, certa habeatur? Hinc sequitur:

1.^o Quæcumque vel uno miraculo confirmantur, indubia prorsus esse, quantumvis intellectûs humani comprehensionem excedant. Idem dicendum, si quædam mira à bonis spiritibus patrata esse constet. Deus enim, qui est

(1) S. Thom. De potent. q. 6. á. 5.

(2) S. Thom. Sum. Th. 2.^o 2.^o q. 178; a. 1. et p. 3. q. 43 á. 1.

summa veritas, decipere homines non potest sive per se, sive per alios: unde

2.^o Si miracula veluti signa assumpsit ad testificandam hominibus suam voluntatem, alicujus doctrinam etc., nequit permittere, ut talia patrentur, quæ homines ineluctabiliter in errorem inducant, nec cum malos punire decrevit, vel bonos probare. Ad Divinam igitur pertinet Providentiam, ut sicubi permittat à spiritibus malis seu mira, seu præstigia fieri, id in ejusmodi permittat adjunctis, ut clara suppetant hominibus indicia, quibus cognoscant, ea divina signa non esse; secus Deus in errores invincibiles homines adduceret.

182. Pariter ex demonstratis octava Disputatione (153 seq.) manifeste constat, miracula esse possilia; verumtamen cum hæc assertio vehementer excruciet pantheistas, rationalistas et incredulos omnium colorum varietate distinctos (1), directe eos perstringet sequens

183. PROPOSITIO. *Miracula et intrinsece, et extrinsece possilia sunt.*

Ad majorem demonstrationis perspicuitatem prænotandum duximus cum S. Thoma (2); miraculum, ut et etiam ex dictis patet, existere tum, cum vel Deus aliquid novi in rebus facit, quod natura efficere non potest, vel cum effectum impedit, qui ab actione alicujus causæ naturalis consequi deberet. V. gr., ut utamur exemplis ipsius S. Doctoris, si Deus cæco visionem restituit, aliquid novi in cæco efficit, quod natura efficere non potest; quia cæcus visionem, quam amisit, naturaliter rursus acquirere non

(1) Horum omnium incredulorum commenta collegerunt homines sibi pascentes Strauss. *Vie de Jésus*, trad. par Lettré, art 1. §. 14.; et Ernest. Renan (Membre de l' institut,), *Vie de Jésus*; Parisiis 1863.

(2) De potent. q. 6. a. 1. et a. 2. ad 3.

potest; si autem efficit, ut ignis non comburat, impedit combustionem, quæ est effectus proprius ignis; et hoc *dupliciter* effere Deus potest, uno modo vel subtrahendo igni virtutem comburendi et concursum suum; alio modo communicando corpori, quod erat comburendum, virtutem maiorem, vel æqualem et contrariam virtuti ignis. Jam vero quæ repugnantia in iis concipi potest?

184. Primo, non *intrinseca*. Nam ut in ejusmodi eventibus contradictio *intrinseca* reperiatur, esset, quia vel ordo et cursus creatæ naturæ forent absolute necessarii, vel virtus, seu facultas infinita. Etenim si primum, utique ordo et cursus naturæ essent absolute immutabiles; si alterum, nulla vis excogitari posset, quæ naturæ facultatem excederet.

Atqui 1.^o Falsum omnino est, naturæ ordinem et cursum esse absolute necessarios. Nam omnes leges naturæ, seu physicæ, ut supra demonstravimus (162 seq.), sunt absolute contingentes; quod etiam ex ipsius materiæ natura constat; nam materia ex se, et ex natura sua iners est, et otiosa, omnis figuræ capax, ad motum, ad quietem, ad formas quascumque recipiendas aptissima et indifferens, ac proinde Creatoris sui absoluto imperio obediens disponi ac moveri potest modo diverso ab eo, quem postulant leges mechanicæ: v. gr. non magis in se repugnat flumina retro descendere, quam deorsum decurrere, et non magis repugnat sol in meridie cursum in occidens peragere, quam in oriens retroire.

2.^o Falsum quoque omnino est naturæ facultatem infinitam esse. Nihil enim, quod creatum sit, et contingens, infinitum esse potest.

185. Secundo, nulla est repugnantia *extrinseca*. Etenim causa, quæ essentiâ suâ et virtute naturæ universæ ordinem ac facultatem excedit, efficere potest id, quod excedit ordinem facultatemque naturæ. Atqui Deus certo certius est ejusmodi causa. Nam cum hunc naturæ ordinem *libere*

constituerit, profecto non est ei subjectus, sed supra ipsum est; cumque ejus virtus infinita sit, et ad omnia possibilia se porrigit, proculdubio et naturæ facultatem superat, et quæ præter hanc facultatem sunt, efficere potest. Ergo miracula et extrinsece et intrinsece possibilia sunt.

186. Confirmatur argumentum. Deus, ut patet ex dictis in Disputatione 6.^a, omnes res condidit, easque conservat ac gubernat; ergo dubitari nequit, Deum posse quosdam effectus in mundo operari, quos causæ naturales producere non valent. V. gr. si Deus corpus humanum organo visionis donavit, nonne potest in cæco ipsum à vitio, quo laborat, quaque de causa visioni ineptum est, liberare, atque hoc pacto efficere, ut cæcus vim videndi rursus adquirat? Si Deus omnia viventia creavit, nonne potest vitam elargiri vel plantæ, ut rursus floreat, fructusque edat, vel cadaveri, ut homo reviviscat? Si Deus triticum creavit, hominesque artem conficiendi panem edocuit; *qui docet hominem scientiam* (1), nonne potest quinque panes ita multiplicare, ut non modo quinque millia hominum nutriant, sed etiam multa illorum fragmenta supersint? Præsertim vero cum ejusmodi facta, seu legum physicarum derogationes, quæ in tempore fiunt, nullam importent mutationem in Deo, qui ab æterno dum constituit mundum condere, eique generales leges dare decrevit, simul decrevit peculiares ejusmodi eventus, cum ipsi placuerit, efficiendos ad manifestandam gloriam suam: Deus enim, ut ait S. P. Augustinus, *semper agens, semper quietus; colligens, et non egens, portans, et implens, et protegens; creans, et nutriendis, et perficiens, quærerens, cum nihil ei desit.*

Amat, nec æstuat..... opera mutat, nec mutat consilium (2).

(1) Psalm. 93.—10.

(2) Lib. 1. confs. cap. 4.

Hæc adhuc magis eluent, si attendimus, Deum non regere *species et genera*, quæ sunt ideæ abstractæ, nec ullam objectivam realitatem habent, sed regere ac gubernare singula individua, et hoc non legibus generalibus et abstractis, ob eamdem rationem, sed legibus peculiaribus et practicis.

187. *Confirmatur* nostra assertio ex consensu omnium populorum, qui suam religionem miraculorum auctoritate, sive vera, sive falsa sint, confirmare enixi sunt, ac proinde miracula possibilia existimarunt. *Porro autem*, loquitur S. P. Augustinus (1), *si multorum deorum cultores, (qualescumque deos suos esse arbitrentur) ab eis facta esse miracula, vel civilium rerum historiæ, vel libris magicis, sive, quod honestius putant, Theurgicis credunt, quid causæ est, cur illis litteris nollint credere, ista facta esse, quibus tanto major debetur fides, quanto super omnes est magnus, cui uni soli (Deo nostro) sacrificandum esse præcipiunt?*

Ex iis ultimis S. Patris verbis aliud habemus argumentum; ecce: de facto ad posse datur vera conclusio; at qui constat non solum ex Sacris litteris, quæ omnem fidem merentur, sed etiam ex auctoribus Ecclesiasticis et profanis multa miracula re vera patrata fuisse. Ergo miracula et intrinsice et extrinsece possibilia sunt.

Solvuntur difficultates.

188. *Obj.* I. Deus non potest miracula facere, quin ipse mutetur. Etenim leges, quibus mundus regitur, sunt ipsa Dei decreta, quæ mutari non possunt, quin mutetur ipse Deus. Hoc autem est absurdum. Ergo etc. (2).

(1) *De Civit. Dei lib. X. c. 18. ad ult.*

(2) *Ita Spinoza, Tract. Theol. polit. c. 5.*

Respond. Interruptionem naturæ legum, ut jam diximus (177), nullam in Deo arguere mutationem. Nam Deus liber est in suis decretis: nihil igitur impedit quominus ab æterno decreverit, ut mundus juxta quasdam leges uniformes regeretur, et simul ab æterno voluerit leges illas in certis circumstantiis vel cessari, vel interrumpi, vel earum virtutem aliâ majori, seu æquali elidere, ne suos producant effectus. Atqui in hac hypothesi mutabitur et interrumpetur ordo particularis et consuetus, ne tamen mutabuntur divina decreta, cum ab æterno fuerint eadem. Sic princeps legem instituere potest, et simul velle hanc in quibusdam circumstantiis non observari. In eo casu lex oblatâ occasione interrumperetur, sine ulla mutatione aut in principe aut in suis decretis.

Ad prob. resp. Leges sunt Dei decreta etc., vel *nego*, cum leges non sint nisi effectus divinorum decretorum, vel *dist.*; leges natüræ sunt ipsa decreta divina, *nego*; sunt effectus divinorum decretorum, *subdist.*, effectus, qui simul includunt ipsas derogationes, quas Deus simul decrevit in tempore faciendas, *conc.*; secus *nego*. Tota hæc mutatio, si ita loqui fas est, est ex parte termini, *Deus enim, ita S. Thomas (1), sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde cum præter hunc ordinem agit, non mutatur.*

189. *Obj. II.* Miracula minus digna Deo videntur; in legibus enim mundi constituendis quæcur Deus non ita generaliter eas patere voluit, ut etiam circumstantias omnes attingeret, quæ essent exorituræ ex hoc ipso mundo? Nunc vero Deus à consuetis legibus deflectens non est sapientissimus; ergo est levis et inconstans, æque ac princeps, qui vellet unam legem per sex menses observari, per sex alios

(1) Sum. Th. I. p. q. 105. a. 6. ad 3.

non observari, et continuas ei apponeret exceptiones, levitatis notam minime effugeret (1).

Resp. Nego ant. Ad 1. prob. in legibus constituendis etc. *Dist.* Nisi Deus sibi aliquid minus usitatum reservaverit ad torpidas quorumdam hominum mentes excutiendas, quæ consuetis non moventur, *trans.*, vel *conc.*; quasi Deus non satis providerit ordinariis eventibus, atque naturali rerum creatarum ordini, *nego*.

Deus certe leges universales constituit, quibus ordinaria ratione mundus regeretur; at ei quoque placuit reservare sibi extraordinaria nonnulla facta, quibus homines supremum ejus dominium in cunctas res, ejusque providentiam evidentius agnoscerent, ac præcipue certiores fierent de veritate religionis, quam revelare constituit (2). O superbia humana! hoc ipsum quod Deus amantissimus in nostram gratiam, et bonum fecit, de hoc cum Ipso disputatur (3).

(1) Ita J. Salvador Judæus, *Historia institutionum Moysis, populique Hebræi*, Parisiis 1829.

(2) Responsio desumpta est à Perrone, Theol. De vera rel. advers. in cred., c. 3. prop. 1. n. 125.

(3) Audiatur S. P. Augustinus, in Johan. Tract. 24., ubi jam præoccupavit et solvit hanc difficultatem: «Miracula, quæ fecit Dominus Jesus Christus, sunt quidem divina opera et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assidue viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum, ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque milium hominum de quinque panibus; et tamen hæc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia majus, sed quia rarum est». (Cons.

Ad alteram, quam adducit, prob.: *nunc vero Deus á consuetis legibus deflectens* etc. Resp. *Dist.*; si Deus á legibus deflecteret eas derogando, esset levis et inconstans, si id efficeret ex necessitate, et ex eo, quod eas emendatione egerent, *conc.*; si id efficit, eo quod es- sent insufficientes ad finem, *subdist.*; ad finem naturalem et ordinarium, *conc.*; si vere efficit ex libera et æterna electione ad finem altiorem in ordine providentiæ sibi dignum, *nego*.

Jam dictum est: 1.^o Deum cum ab æterno libere decrevit mundum condere, eumque quibusdam legibus regere ac ad finem dirigere, simul libere ac sapientissime decrevisse, quosdam effectus vel sine ipsis per se efficere, vel ab ipsis efficiendos impedire: 2.^o Deum non evertere iis in casibus suas leges, sed eis sapientissime derogare, et qui- dem non omnibus, sed alicui peculiari legi et in casibus particularibus. Deus, si vim v. gr. igni ademit ne rubum combureret, non tamen evertit legem, nec sustulit virtutem ubique igni inditam ad comburendum; et sic de cæteris. *Æquivocatione* proinde utuntur increduli, cum hæc commi- niscunt. *Ad confirm.* desumptam á comparatione Dei cum principe, *nego parit.*; ineptus enim ac levis esset princeps si ad has confugeret exceptiones vel ex defectu scientiæ et capacitatis, vel absque ulla, seu imprævisa causa, quod de Deo sapientissimo dici nequit. Leges physicæ enim or- dini providentiæ subordinantur: hinc illis Deus utitur, vel non utitur prouti Providentiæ ordo postulat.

etiam Civit. Dei, lib. X. c. 12. et lib. XXI. c. 4. et 5.) Ex iis igitur habemus; Miraculis multo minus declarari majestatem Naturæ divinæ, quam declaratur ordine naturæ; cum in illis vim quamdam tantummo- do miremur; in hoc vero et vim, quæ virtutem rebus etiam vilibus indidit, et infinitam dispensatoris sapientiam. Cons. S. Thom. QQ. Disp. De pot. q. 9. a. 1. et 2.

190. *Obj.* III. Leges naturæ derogationem pati nequeunt. Ergo etc.

Resp. nego ant. Prob. ant. Leges naturæ fluunt à rerum essentiis; hæc sunt immutabiles; ergo etc.

Resp. 1.º Nego maj. Ex essentia sua res quæcumque est prorsus indifferens ad hunc vel illum motum, ad hunc vel illum effectum producendum, neque hanc potius, quam illam legem exigit; sed omnia hæc à libera Dei voluntate dependent? Quid enim obstat, quominus Deus vires rerum creatarum augeat, vel minuat, aut etiam prorsus impedit, quemadmodum nos ipsi lapsum corporis impedire possumus? Deus enim dicitur res creatas regere legibus earum essentiis accommodatis, sed non ita quasi tales leges ex rerum essentiis promanarent, bene vero quia iisdem essentiis tales leges non repugnant, et ordo constitutus ipsis consentaneus est.

Resp. 2.º Dist. maj. Fluunt leges naturæ à rerum essentiis proprie et absolute, *nego.*; improprie et positis quibusdam conditionibus contingentibus, *conc.*

Resp. 3.º Omissa maj. dist. min. Essentiæ rerum sunt immutabiles in se, et in determinatione ad certos quosdam effectus producendos, *trans.*; ita ut effectus earum impecdiri non possint, *nego.* Deus enim miracula efficere potest, ut dictum est, solummodo cohibendo vi sua infinita naturales vires ne effectum producant, vel etiam suum concursum iis subtrahendo, sine quo causæ creatæ nihil agere possunt.

Inst. Leges honestatis Deus derogare nequit. Ergo à pari.

Resp. Conc. ant.; nego cons. et parit. Ratio est, quia leges honestatis respiciunt ordinem creaturæ ad Creatorem, qui essentialiter immutabilis est, et cuius ordinis fundamentum sunt ipsa moralia Dei attributa, Sanctitas nempe, Justitia etc.

Leges autem naturæ pendent à libera Dei voluntate,

et continent tantummodo ordinem unius creaturæ ad alteram.

190. *Obj. IV.* Ut certi simus de existentia miraculi, noscere debemus omnes naturæ leges; atqui hoc est impossibile; ergo nunquam constari poterit de existentia miraculi, et semper dubium erit, an effectus mirabilis quicunque, non sit alicui legi incognitæ tribuendus.

Resp. Nego maj. Etenim quamvis omnes naturæ leges nobis non innotescant, scimus tamen, Deum esse auctorem istarum legum, Ipsumque servare tum ordinem physicum, à quo certitudo physica, tum ordinem moralem, à quo certitudo moralis pendent; atqui eo ipso scimus, effectus illos mirabiles, quos miracula vocamus, non provenire à legibus occultis. Deus enim vi suorum attributorum telem rerum ordinem servare debet, ut nec certitudo physica, nec moralis pereant; atqui si leges occultæ effectus solitis omnino contradictorios producere possent, periret utraque certitudo, nulla foret securitas, et societas continuæ deceptioni foret obnoxia; ita v. gr. si mortui resurrectio lege occulta sit naturaliter possibilis, jura successionis et quæcumque ex morte necessario consequuntur, incerta fient; si ob legem occultam et corpora solida fierent liquida, et liquida fierent solida; si corpora dura penetrari possent, aut gravitatem amitterent, etc., quænam operantium, navigantium, aut ambulantium securitas? si ob legem occultam ignis comburere, aqua sitim extinguere, etc. desineret; nonne homines in continuo errore, qui in auctorem ipsum naturæ recideret, versarentur? Insuper certi sumus, Deum non posse velle contradictoria, ac proinde leges generales, quibus ordinem physicum regit, non posse esse contradictorias; atqui essent sibi contradictoriæ, si miraculum fieret vi cuiusdam legis ignotæ, Ergo etc. Tandem etiamsi hoc opus, quod miraculum vocatur, ex lege ignota proveniret, alterum certe miraculum esset, quod, scilicet, thaumaturgus, et ipse quidem solus, sciret hanc legem ignotam tali præcise tem-

pore, et talibus in circumstantiis, vim suam habituram (1). Ergo etc.

Ad mino. dist. Atqui hoc est impossibile, id est, nobis impossibile est cognoscere omnes naturæ leges *positive*, et singulatim, *trans.*, vel *conc.*; *negative*, et quoad illas, ex quibus judicari debet de miraculo, *nego*. Ratio patet tum ex dictis, tum ex dicendis.

191. *Obj. V.* Nulla est religio, quæ in sui confirmationem non habeat miracula. Ergo vel omnes religiones sunt identidem veræ, et ideo nulla, cum sint contradictoriæ, vel sunt omnes falsæ. Atqui hoc est impossibile. Ergo etc.

Resp. Dist. ant. Nulla est religio, quæ in sui confirmationem non habeat miracula vel vera, vel ficta, *conc.*; vera, vel *nego*; vel *subdist.*; patrata in testificationem aliquuj virtutis, *trans.*; in confirmationem erroris, *nego*, Nunc contra incredulos. Ergo, miracula sunt possibilia. Defecerunt scrutantes scrutinio (2).

Inst. Atqui fuerunt vera miracula. Nam vera miracula profecto sunt cæcis visum restituere, defunctos ad vitam revocare, morbos subito depellere, aquam cribro asportare, onerosissimam et hærentem navem cingulo trahere, cotem novaculâ secare et alia id genus plurima; atqui primum inter cæteros præstiterunt Vespasianus et Hadrianus, testibus Tacito (3), et Suetonio (4); alterum præstitit Æsculapius, qui, ut refert Diodorus Siculus (5), Androgeon Minois filium, et Hippolitum filium Thesei à morte excitavit; tertium, præter Æsculapium, Isis passim in templis sibi dica-

(1) Nonnihil morosius hanc protraxi respcionem, ut appareat similitudo incredulos inter et Houttevillium, Bonetum et Clarckium.

(2) Cons. S. P. Aug. De civ. Dei, Lib. X. c. 16. n. 2. et L. XXI. c. 6.

(3) Hist. L. 4. n. 81.

(4) In Vespas. n. 7.

(5) Bibli. Hist. L. 4. pag. 189. edit. Henr. Steph.

tis præstabat, eodem teste (1); quartum et quintum præstítit Claudia Vestalis, referente Valerio Maximo (2); sextum denique Attius Navius, teste Livio (3). Ergo. etc.

Resp. Dist. Et ejusmodi facta veluti fabulosa à sapientibus habentur, quia ad critices regulas exacta vel falsa, vel saltem suspecta deprehenduntur, *conc.*; deprehenduntur ut vera et ad falsæ religionis confirmationem edita, *nego*.

192. In primis recensita facta carent fundamento historico. Etenim ne unus quidem ex citatis historicis fuit oculatus testis, et ex incerto rumore ea referunt; et quantum vulgus exggeret iis in rebus portentosis incredibile prorsus videtur, ut nos ipsi experti fuimus. Insuper ea prodigia Tullius contemnit: *omittit*, (alloquitur ad Quintum Fratrem De Divin. l. 2. c. 38.) *lituum Romuli*, quem in maximo incendio negas potuisse comburi, cotem Attii Navii: nihil debet esse in philosophia fabellis loci; Lucianus vero irridet (4). Sacerdotum fraudibus eadem plerique adscribunt (5). Nulla præterea perhibentur in falsæ religionis testifi-

(1) Id. *ibid.*

(2) Lib. 8. c. 5.

(3) Lib. 1. c. 36. Cons. Philosoph. Lugdun. Etica speci. Dissert. III. Sectio 2.^a

(4) In Dialog. *Jupiter confutatus*, et *Jupiter tragædus*; et alibi,

(5) Valerius Max. l. 1. c. 8. n. 6. Scribit: «Nec me præterit de motu et voce deorum immortalium humanis oculis, auribusque perceptis, quæ in ancipiti opinione aestimatio versatur.» Sic Curt. l. 9. c. 1. circ. fin. «Equidem plura transcribo, quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi.» Similia sæpe reperiuntur in Liv. dec. 1. L. 1.; et plut. in vita Romuli. Id ipsum dicitur de prodigiis Vespasiani et Hadriani; nam Spartanus in *Hadriano* tradit, quod Marius Max. ea refert, tanquam ficte patrata, et Tacitus satis indicat ex assentatione in novum imperatorem Vespasianum illa fuisse excogitata. Adeatur Livius in *præm.* et L. 24. c. 3.-12-et 24.; Valer. Max. L. 1.; et Suetonius in *Claudio* c. 1.; et Pausanias L. 6.;

cationem saltem directe edicta, quæque naturaliter magna ex parte explicari non possint (2).

193. *Obj.* VI. Nobis cum certitudine nunquam cons-

et Johan. Ang. Reumann *Dissert. de miracul. Vespasiani*, t. 2. De Virgine Vestali putat S. Thomas (De pot. q. 6. a. 5. ad 5.) potuisse in retentione aquæ esse verum miraculum à Deo patratum ministerio Angelorum bonorum ad commendationem castitatis. Addit ipse vero, si autem per dæmones factum est, nec hoc repugnat prædictis. Denique miracula, quæ attribuuntur Appollonio Tyanæo, nihil aliud quam præstigia fuisse testatur Dio (in Caracalla), cum de Antonio Caracalla scribit: «Magis, et præstigiatoribus ita delectabatur, ut Appollonium Cappadociæ, qui floruerat Domitiani temporibus, laude et honore affecerit. Hic præstigiator fuerat, et magus, eique monumentum faciendum curavit.» Addit Mosheimius in *Cudvort.* t. 2. c. 4, §. 15. not. Appollonium eximiam artis medicæ scientiam adeptum fuisse, et per eam multa patrassæ, quæ mira videbantur. Sed quomodocumque sit, dubitari potest ac merito de hujus cappadocis commentis, nam ipsi talia prodigia attri buuntur à Philostrato post duo circiter sæcula collecta ex vulgi rumore et in obsequium Juliae conjugis Caracallæ; relata deinde ab Apulej. in *Asino aureo*; quæ relationes contradictionibus et apertis fabellis sciant. Cons. Paulum Olavide, *El evangelio en triunfo. cart. 6. et 7.*; Dupinium *Histor. de Appoll.*; Orsi, *Hist. Eccl. l. 1. n. 69, et l. 2. n. 22.*

(2) Ægroti Babylone et fortasse in pluribus aliis regionibus primum in viis publicis exponebantur, ut transeuntes consularent, et ab ipsis ea remedia acciperent, quæ simili morbo affectis jam pridem ad valetudinem recuperandam conduxerant. Ægyptii in templo Serapidis, et Græci in templo Æsculapii deferebant ægrætos, et media, quibus sanati sunt, scripta in his fanis conserbabantur. Ex iis per experientiam cognitis medicamentis progressu temporis ars medica in scientiam redacta est primum in Ægypto, multo recentiori ævo in Græcia. Inter Hebræos autem antiquioris, nobiliorisque originis ars medica etiam sacerdotio commissa fuit. Cons. Jahn. in sua *Archæologia*.

122. Inde originem habuerunt apud gentes mythologicæ illæ fictiones de curationibus ope Æsculapii, Isidis etc. Cons. Baron. *Annal. ad ann. Christi 139 n. 4. seqs.*

tari potest existentia facti, quod naturæ ordinem ac facultatem excedit.

Huic respondet sequens

PROPOSITIO. *Cognosci cum certitudine potest existentia facti, quod naturæ ordinem ac facultatem excedit, si hoc factum sensibile sit.*

Recolantur dicta in Logica (*Appendix de Arte critica et Hermeneutica*). *Probatur prop.* Etenim potest 1.^o de hujusmodi facto haberi certitudo physica, ab iis, qui hoc factum suis sensibus usurpant. Quanquam enim miracula sint facta quædam supra naturam, tamen si facta sensibilia sint, ad ea observanda vis supra naturam nulla requiritur (*Log. Lec. 46 et 47.*), possunt itaque sensibus recte dispositis, recteque adhibitis cum certitudine cognosci, prorsus ut cætera facta. V. gr. aliquem hominem mortuum vere esse mortuum, hoc sane omnes certo possunt cognoscere, et ipsum deinde hominem, si iterum vivat, omnes possunt viventem cernere; nisi aliud majus miraculum admittatur, videlicet, aut omnes simul sensibus orbatis fuisse, vel videntes, tangentes, audientes, simul nec audiant, nec videant, nec tangant. Atqui ex duplii hac cognitione exsurgit certitudo de hominis resurrectione. Ergo etc. (1).

194. Hinc potest 2.^o de miraculo haberi certitudo moralis. Sufficit enim ut de testium, qui se factum vidisse asserunt, scientiâ et veracitate dubium omne excludatur. Ad hoc autem non supernaturalis quædam critica necessaria est, sed ordinaria illa critica, quâ de testimonii historici pondere ex adjunctis judicare solemus. Quod si quis, (testium scientiâ ac veracitate ex criticæ legibus comperta,) quia factum, de quo illi testantur, supra naturam est, iis fidem habere detrectaret, hic profecto, ut divinum in ordi-

(1) Legite narrationem, seu historiam resurrectionis Lazari, *Johann. cap. 11. v. 14. seq.*

ne physico miraculum respueret, absurdum quoddam in ordine morali miraculum admittere cogeretur. Homines enim in certis quibusdam adjunctis constitutos mentiri, hoc sane et supra, et contra moralis ordinis leges est. (Cons. Log. Lectiones 45. et 46 et Appendicem.)

195. *Obj.* Humius. Infirmiter probatio validiori cedat oportet. Jam vero miraculum quodvis, licet pro se auctoritatem habeat testimonii, contra se tamen constantem experientiam habet. Atqui auctoritas est probatio infirmiter. Ergo etc.

R. Huic difficultati jam responsum fuit Logi. l. c. *Trans. maj.*, et *nego 1.^{am} part. min.*, id est, miraculum quodvis constantem contra se experientiam habere. Nam experientia hoc solummodo docet, miracula *communiter* non fieri; at nulla experientia docet, *miracula fieri non posse*; imo oppositum docet ratio, et hoc quod ratio docet est metaphysice certum.

Nego quoque 1.^{am} part. min., id est, auctoritatem, si plena sit, esse probationem infirmiorem eā, quae ab experientia est. Utraque enim probatio omne errandi periculum æque in suo ordine excludit, (Log. l. c. n. 380.)

196. *ASSERTIO.* *Ex consideratione facti mirabilis una cum ejusdem adjunctis, cognosci potest, ut plurimum, utrum illud sit signum divinum, an non: cum vero hoc cognosci certo nequit, si ejusmodi factum signum divinum non est, semper indicia suppetunt ad dubitandum de ejus origine* (1).

Prob. 1. pars. In æstimanda facti mirabilis origine hæc dubia occurrere possunt: 1.º an illud sit ex naturæ corporeæ viribus: 2.º an sit ex hominis arte, vel fraude: 3.º an sit à

(1) Hæc assertio à Salv. Tong. desumpta prope infinitæ frugis est, breviter tamen confirmabitur. Cons. Benedict XIV. *De Beatif. et Canoniz.* præsertim Lib. 4.

bono, vel malo spiritu per modum artis, vel præstigii: 4.^o
an totius prorsus naturæ creatæ vires superet.

197. Atqui 1.^o *Cognosci potest, factum mirabile non esse opus occultum virium naturæ corporeæ.*

In hunc finem considerandus est effectus in se, et subjectum, in quo fit, et modus, quo fit. Deinde videndum, an in ipso subjecto sint naturaliter, aut possint esse vires idoneæ ad ejusmodi effectum tali modo producendum, tum etiam an hæ vires sint in corporibus circumstantibus, ac maxime in iis, quæ fortasse ad opus adhibita fuerint. Si in his omnibus reperiri non possit sufficiens facti ratio, adscribi opus corporeæ naturæ non poterit.

Hoc autem quandoque est per se manifestissimum, ut si v. gr. tempore plenilunii eclipsis solaris accidat; aut si sola voce claudus sanetur, mortuus ad vitam revocetur, etc.; sæpe vero peritiam aliquam in rebus physicis ac medicis postulat, nec raro peritiam summam. Nunquam tamen requiritur, ut omnes omnino naturæ corporeæ vires, earumque in variis adjunctis efficacia plene cognoscatur, quæ quidem cognitio humani intellectūs capacitatem excedit (Cons. 186 ob. IV.), sed tantummodo necesse est cognoscere, eas causas, quæ effectui interfuerunt, ad eumdem producendum pares non esse.

198. 2.^o *Potest cognosci, facta quædam mirabilia non esse humana arte, vel fraude patrata.*

Quod spectat ad artem, mirabilia arte fiunt vel per motus locales desteritate quadam coniectos, vel per applicationem naturalium agentium ad passiva proportionata. Itaque, si quid per motum localem aut naturæ viribus ab homine adhibitis fieri nequit, hoc certe non est artis operatio.

Fraude fingi possunt quædam adjuncta, ut opus quoddam miraculosum simuletur, v. gr. infirmitas, ut sanitio dein per miraculum effici videatur. In hoc autem casu quoniam de facto agitur, si quando ejusmodi dubium ex

personarum, ac finis consideratione inciderit, consulendæ sunt Criticæ leges. (1). (Cons. Disp. 9.^o n. 175. 4.^o nota.)

199. 3.^o *Potest cognosci, facta quædam mirabilia nec malorum spirituum opus esse, nec eorumdem interventu effecta fuisse.*

Hoc indubitatum erit, quotiescumque certo constet, opus, de quo agitur, vel simplici locali motu, vel per alicujus agentis naturalis applicationem effici non posse, ut v. gr. constat in mortui ad vitam reditu, quia spiritus creatus sive bonus, sive malus solummodo per modum artis mira quædam patrare possunt, ut ait S. Thomas (2), arte vero numquam possibile erit talia patrari.

Quoniam autem de hoc raro constari poterit, idcirco non solum factum considerandum est, sed maxime facti adjuncta, ac nominativi *operans*, *operandi modus*, ac *finis*; nugatoria enim, indecora, inhonesta, prava aut quomocumque vel in se vel in effectibus Deo optimo indigna, Ipsi aut bonis Angelis, qui Dei Beatifica visione fruuntur, quique missi sunt ad tutelam, et *in ministerium eorum, qui hæreditatem capiunt salutis* (3), non solum absurdum, sed maxime impium est attribuere. Semper igitur ex horum consideratione mali spiritūs operationem aliquo modo cognoscere dabitur. (vid, Jo. Perr. de mesmer. etc c. IV et VI.)

200. 4.^o *Opus mirabile, sive sit miraculum proprie dictum, sive à bonis spiritibus vi sua naturali operantibus procedat, semper ut signum divinum habendum est.*

Hoc per se patet cum opus mirabile est miraculum proprie dictum. Miraculum enim proprie dictum ex immedia-

(1) Cons. S. P. Aug. *Tract. XIII. in Johan.* n. 17.; Bergier, *confutatio exam. miraculorum. De Paris*, jansenista et aliorum; Benedict. XII. *De festis* l. 1. c. 5.

(2) De pot. q. 5. a. 3.

(3) Hebræos. 1.—14.

ta Dei operatione est, ut demonstratum manet. Si autem opus mirabile sit ex naturali bonorum spirituum virtute, adhuc divinæ voluntatis signum erit; boni enim spiritus, cum in omnibus placidissime Deo sint subjecti, nihil agere volunt, nec possunt, quod Dei voluntati repugnet; proinde falsitati favere, eamque promovere ac suadere nullatenus possunt.

201. Probatur 2.^a pars. *Si ejusmodi factum signum divinum non est, semper indicia suppetunt etc.*

Fieri profecto potest, ut factum mirabile iis in adjunctis contingat, ut horum criteriorum ope decerni cum certitudine nequeat, utrum illud sit divinum signum, an non. At si hoc reipsa divinum signum non sit, nunquam esse poterit ejusmodo, ut nullum judicium suppetat ad dubitandum saltem de ejus origine. Hoc enim certum omnibus esse debet quicumque Divinam providentiam agnoscent: non posse a Deo permitti mirum aliquod sive ex occultis naturæ viribus, sive ex hominum aut dæmonium arte, vel fraude in talibus adjunctis fieri, ut signum divinum videatur ad aliquid confirmandum, si id, de quo agitur, falsum sit, et nullum medium suppetat, quo dignosci possit, evenit illum signum divinum, saltem certum, non esse. Contrarium enim moralibus Dei attributis repugnat, Dei, qui Providentiâ admodum mirabiliter paternali nos nostraque curat!! (1).

Hæc sunt, dilectissimi Fratres, quæ pro nostro instituto vobis dictare proposui; utinam Deus O. M. faciat, ut omnia in ejus honorem et majorem gloriam cedant.

EXPLICIT COSMOLOGIA.

(1) Cons. S. Tong. Conn. l. 4. c. 2. art. 7.

Me aliis curis distracto nonnulla irreseprunt menda,
graviora correpta accipe, benevole lector, cætera tua eru-
ditio corriget.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
13	8	creatoris	creaturis
45	21	varis	variis
57	38	edea	idea
59	24	identia	identitas
68	15	Prograssistæ	Progressistæ
80	27	methapisicam	metaphysicam
81	6	pefectionis	perfectionis
100	10	ad	ab
103	23	est,	, est
115	18	exugeret	exsurgeret
121	4	cualitatibus.	qualitatibus
165	24	corpus realis	corpus reale
166	12	vacuitas	vacuistas
200	16	representat	repræsentat
209	14	pag. 57	pag. 227. n. 88
211	32	1081	1801.
224	9	cours de philosophiæ	cours de philosophie
231	14	illum	ille
id.	23	crudele	crudeli
243	5	Baruh	Baruch
249	5	abjecto	objecto
252	4	idea-ens	ideam-ens
276	32	non	.
282	24	prefixit	præfixit
295	16	ejumodo	ejusmodi
299	31	inter	iter.
315	30	plut.	Plut.
316	4	Ang.	Aug.
320	17	quomocumque	quomodocumque
320	31	exam. miraculorum, de Paris janesta	{ examinis miraculorum de Paris jansenista.

INDEX.

PHILOSOPHIÆ TRACTATUS SECUNDUS.

METAPHYSICA.

Páginas.

INTRODUCTIO.—Metaphysicæ etymologia,—definitio,—ejusque divisio.—Secundum objecta, circa quæ versatur, dispescitur in Ontologiam.—Cosmologiam.—Pneumatologiam, quæ subdividitur in Theologiam naturalem et Psychologiam,—subdividitur ista in Dynamilogiam et Anthropologiam.—Metaphysicæ utilitas et excellentia.

5

METAPHYSICÆ PARS PRIMA.

METAPHYSICÆ GENERALIS

SEU

ONTOLOGIA.

Ontologiæ definitio—objectum—munus—ordo in hoc tractatu servandus.

8

SECTIO PRIMA.

DE ENTE AC DE PRINCIPIIS, QUÆ EX EJUS NOTIONE DIMANANT.

DISPUTATIO 1.^a—De entis notione.—Entis notio simplicissima.—Duobus modis ens concipi potest.—Dividitur in actuale et potentiale.—De nihilo.—Nihili definitio.—Dividitur in negativum et privativum.—Quomodo nihilum concipiatur.—De entis analogia.—Nota.—Quot et quales sint proprietates, quæ sequuntur omne ens.

10

DISPUTATIO 2.^a.—Utrum ens sit primum intellectū objectum et quomodo.—De principiis, quæ ab entis notione dimanant.

15

Propositio I. *Notio entis prima est, tum in ordine cronologico, seu temporis, quo intellectus notio nem rerum acquirit, tum in ordine logico, quo notiones inter se continentur.*—*Corollaria.*

ib.

Propositio II.—*Nihilum ab intellectu cognoscitur, non per se ipsum, sed per ejus oppositum, nempe per ens communissime sumptum.* *Diff. solvitur.*

17

Ex entis notione dimanant principia identitatis,— contradictionis,—et exclusi medii.—Quomodo?—Animadversiones circa contradictionis principium.—Kantii principium circa quæ locum habeat.

18

DISPUTATIO 3.^a.—Utrum principium contradictionis sit primum et solum cujuscumque veritatis principium.

20

Propositio I.—*Principium contradictionis est omnium primum in ordine reductionis, non tamen in ordine demonstrationis.*—*Animadversio.*—*Confusio cartesianorum.*

ib.

Positio Leibnizii.—Definiuntur et explicantur principium rationis sufficientis et principium causalitatis.

23

Propositio II.—*Principium rationis sufficientis est verum, et valet non solum pro veritatibus contingentibus, sed etiam pro veritatibus necessariis, ita ut tanquam principium ipsarum habendum sit, sed non tanquam PRIMUM PRINCIPIUM.*

24

Num principium contradictionis sit objectivum, an subjectivum.

27

SECTIO SECUNDA.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ENTIS ESSENTIA ET EXSISTENTIA, ATQUE PROPRIETATIBUS TRANSCENDENTALIBUS.

DISPUTATIO 4.^a.—De entis essentia,—natura,—exsistentia,—quid sint etc.—Definitiones essentiæ et explicatio.—Essentia dicitur etiam ratio rei,—quidditas,—forma,—natura.—Quare?—Quid sit natura.—Definitio-

nes.—Rerum essentia physica et metaphysica. Notio exsistentiae simplicissima et clarissima definiri non potest,—variæ ejus descriptiones.—Utrum essentia distinguatur ab exsistentia.—Opiniones.—Quo sensu intelligendus est D. Thomas.—Exsistentia ab essentia actuata realiter non distinguitur, bene vero essentia exsistens ab essentia abstracta..

Lockii, Giobertii et aliorum error. Propositio I.
Multarum rerum essentiæ reales à nobis cognoscuntur.

Propositio II.—*Essentiæ rerum sunt indivisibles, non tamen incompositæ omnes.*—Propositio III.—*Essentiæ rerum prout sunt in intellectu Divino, sunt æternæ, necessariæ, et immutabiles.*—Propositio IV.
Essentiæ rerum, prout in rerum natura sunt, non sunt æternæ, sed in tempore.—Propositio V.—*Essentiæ rerum, prout sunt in rerum natura, sunt non absolute, sed hypotheticè necessariæ, et immutabiles, si referantur ad Deum, à quo ad actum reducuntur; sunt autem absolute necessariæ, et immutabiles, si referantur ad principia ex quibus consti-*
tuuntur.

Solvitur difficultas.

COROLLORIA. Essentiæ dicuntur infinitæ quoad comprehensionem, minime vero quoad extensionem.—Nulla realitas in se spectata alteri realitati in se spectatae contradicit—Quidquid realitati contradicit merus est defectus. Omnes possibles realitates in eodem ente contineri possunt.

DISPUTATIO 5.^a—De possibilitate entium.—Quid sit possibilitas.—Unde ejus notio exurgat.—Quid impossibilitas.—Possibilitatis divisio,—est enim intrinseca, quæ et absoluta nuncupatur, et extrinseca, quæ relativa dicitur.—Possibilitas moralis.—Possibilitas physica.—adæquata.—Quod possibile est differt à nihilo.

Propositio—*Dantur plura possibilia, quam quæ in serie temporum exsistentiam obtinent.*

DISPUTATIO 6.^a—De possibilitatis absolutæ origine, et intelligibilitate. Propositio I.—*Intrinsica rerum possibilitas non dicit originem à Dei Omnipotentia.*
—Rationes: 1.^a quia Dei Omnipotentia præsupponit

28

31

33

35

36

37

40

intrinsecam possibilitatem: 2.^a quia certitudo principiorum destrueretur. 41

Propositio II. *Intrinsica rerum possiblitas non ducit originem à divina Voluntate.* — 1.^o Quia tum etiam Intellectus divinus penderet à Voluntate quoad rerum cognitionem. — 2.^o Deus vellet quod non cognosceret. — 3.^o Divina voluntas posset velle contradictionis, ideoque vellet nihil. — 4.^o Sensus naturæ communis. — Objectiones. 42

Propositio III. — *Intrinsica rerum possiblitas ex ipsis rerum essentiis emergit; quia idearum convenientia ab ipsarum constitutivis dependet.* — Unde emergit possiblitas intrinsica, — immutabilis, — aeterna, necessaria etc. 44

Propositio IV. — *Rerum intrinsica possiblitas, et omnis earum intelligibilitas dependet FORMALITER à divino Intellectu, RADICALITER vero à divina Essentia, quatenus est objectum necessarium et adæquatum divini Intellectus.* — Deus, cum sit summa perfectio, est imitabilis ad extra per creaturas, variis, verisque modis; quatenus est ipsa Intelligentia hoc ipsum exprimit in Verbo mentis; unde divina Essentia est exemplar radicale, et Intellectus divinus exemplar formale omnium possibilium. 45

Nota 1.^o Possibilia sunt in divina Essentia tamquam in exemplari virtuali et radicali; in divino Intellectu tamquam in exemplari formalis. — 2.^o Ideæ archetypæ sunt plures respectu terminorum, minime vero in divino Intellectu, qui est ipsa divina Essentia, actus purissimus et simplicissimus. — Unde colliges 1.^o omnem necessitatem, immutabilitatem, et aeternitatem possiblitas ab aeternitate etc. divinæ Essentiae promanare. — 2.^o Nostrum intellectum exhaustire esse objectivum possibilium immediate ab ipsis rebus, mediate vel remote ab Essentia divina. — 3.^o Intellectum nostrum, cum res sive existentes, sive possibles contemplatur, ipsas ideas archetypas contemplari, non quidem in seipsis, sed in rebus creatis, quæ Summi Opificis ideas in se referunt. 48

Solvuntur objectiones. 49

ARTICULUS SECUNDUS.

De proprietatibus transcendentalibus entis earumque oppositis etc. Id est, de *unitate*, *veritate*, et *bonitate*.—De multitudine, falsitate, et malo.—De numero, identitate et distinctione.—De pulchritudine, de *gratia seu venustate*—et sublimi.

DISPUTATIO 7.^a—Quid sit unum.—Quid unicum.—Propositio. *Omne ens est unum*.—Unitatis classes et divisiones.—Unitas transcendentalis,—indivisibilitatis,—compositionis,—artificialis,—moralis,—aggregationis.—Unitas realis.—Unitas rationis.—Unitas individualis.—Unitas formalis.—Unitas numerica..

De principio individuationis.—Opiniones.—Propositio. *Quod naturam individuam constituit, non est aliquid re distinctum ab ipsa natura, quæ fit individua, sed omnis natura individuat per suam ipsam realitatem*.

Quid sint multa.—Multa sunt, quæ in aliquo entitatis genere divisionem habent.—De numero.—Numerus est collectio unitatum.—Numeri elementa sunt: 1.^o unitas: 2.^o divisio: 3.^o similitudo seu unitas logica multorum. Numerus vocatur homogeneus et heterogeneus..

DISPUTATIO 8.^a—De identitate et distinctione.—Identitas potest esse metaphysica, physica et moralis.—Identitas est absoluta vel relativa.—De similibus.—Quid sit similitudo,—triplex ejus origo.—Propositio I. *Definiri nequit utrum, necne duo perfecte similia in mundo existant*.—Propositio II. *Impossibile non est duo entia perfecte similia existere*.—Solvitur Leibnizii difficultas.—Distinctio est: *aliqua unitatis carentia*.—Dicitur absolute, vel cum aliquo addito. Primo modo: opponitur unitati et identitati logicæ.—Secundo: opponitur identitati essentiali et vocatur diversitas; quæ definitur; *carentia unitatis genericæ*.—Distinctio dividitur in realem, et logicam seu rationis.—Utraque potest esse adæquata vel inadæquata, positiva vel negativa.—Distinctio realis: alia est realis major, vel realis absoluta, vel realissima, quæ

51

52

56

57

etiam appellatur substantialis: alia est modalis, seu, ut dicunt, realis minor. *Propositio III.* *Ratio qua fit ut una eademque res pluribus ac diversis conceptibus percipiatur, tum in intellectus imperfectione, tum in objectorum perfectione sita est.* *Propositio IV.* *Substantia à suis modis contingentibus distinguitur distinctione reali inadæquata et negativa.* De oppositione. Oppositio contraria,—contradictoria.

58

DISPUTATIO 9.^a—De veritate transcendentali.—Veritatis definitio.—Veritas logica.—Veritas metaphysica.—Res veræ per accidens vel secundum quid.—Per se, vel absolute. Res dicuntur veræ per comparationem ad intellectum.—Propositio. *Quidquid in rerum natura est, verum est; sive Omne ens est verum.*—De falsitate.—Falsitatis definitio.—Non datur in rebus falsitas, seu non est falsitas metaphysica.—Res tamen dicuntur improprie falsæ respectu ad intellectum nostrum.—Corollaria. Res non dicuntur falsæ simpliciter, sed solum secundum quid. Falsitas et error sunt nihilum privativum. Quomodo veritas dicatur esse una.—Refutatio Progressismi.—Propositio. *Veritas, quæ est objectum intellectus humani, capax mutationis et progressus esse nequit.*—Objectio.

68

DISPUTATIO 10.^a—De perfectione.—Perfectionis definitio.—Conditiones ad perfectionem requisitæ.—De perfectionibus totalibus et partialibus.—Perfectio totalis est relativa vel absoluta.—Perfectiones partiales, aliæ sunt simplices, aliæ secundum quid vel mixtæ.—De Bono.—Bonum vel bonitas definitur: *quod est alicui conveniens.*—Boni notiones. Bonum dividitur in verum et apparens.—Quid sit verum bonum.—Quid bonum apparens.—Ratio boni dividitur in absolutam et relativam.—Quid sit bonum absolutum seu secundum se.—Quid relativum seu bonum alteri.—Unum et alterum potest esse physicum vel morale.—Communissima boni divisio est, quæ rationem boni dividit in honestam, delectabilem et utilem.—Quid sit bonum honestum, quid delectabile, quid utile.—Propositio. *Omne ens est bonum.*—Sequitur: Omne bonum esse ens.—De Malo.—Malum est privatio boni vel carentia perfectionis convenientis.—Non est ali-

qua realitas aut affectio positiva.—Malum differt á nihil.—Nota.—Dividitur malum 1.^o in absolutum, et relativum; seu in malum secundum se, et malum alteri.—Dividitur 2.^o in physicum et morale.—3.^o In malum culpæ et malum poenæ.—Harum divisionum explicaciones.—Propositio I. *Malum non potest esse nisi in subjecto bono.*—Propositio II. *Malum habet causam bonam.*—Animadversio.— Propositio III. *Repugnat dari substantiam et naturam malam.*—Colliges 1.^o Subjectum nulla ex parte bonum esse merum nihil. 2.^o Nullam rem esse absolute malam. 3.^o Turpissime errasse nonnullos hæreticos putantes peccatum originale esse malam substantiam.

74

DE ORDINE.

Ordo á S. P. Augustino definitur: *Parium dispartiumque sua cuique loca tribuens dispositio.*—Nota.—Ordinis partitio in universalem et particularem.—Ordo potest dici simplex et compositus.—Tum res, tum operationes ordinantur.—Ex rerum in spatio ordinatione resultat ordo staticus;—staticus—symmetricus;—staticus—harmonicus.—Ex ordinatione operationum emanat ordo dynamicus, qui finalis et chronologicus esse potest. Ex juribus et officiis resultat ordo moralis. Nota 1.^o Ordo minime est arbitrarius: 2.^o Res potest diversimode ordinari pro diversitate relationum.

83

DE PULCHRITUDINE.

Pulchritudinis definitio.—Pulchrum differt á bono.—Tria ad pulchritudinem constituendam concurrunt.—Pulchritudo dividitur in idealem, realem, et moralem.—Quid hæ pulchritudinis species sint.. . . .

85

DE GRATIA, SEU VENUSTATE.. . . .

86

DE SUBLIMI.

Ejus definitio.—Sublimis notio generari videtur ex excessu quodam relativo pulchritudinis.—Duæ

sublimis species, — sublime mathematicum et dynamicum...

87

SECTIO TERTIA.

DE ENTIUM PERFECTIONE QUOAD ESSE, ET ESSENDI MODUM.

Animadversio.

87

DISPUTATIO 11.^a — Notiones finiti et infiniti. — Omnes infiniti ideam habent. — Idea infiniti absque contradictione negari nequit. — Conceptus infiniti duplex est; alter confusus et initialis; alter explicitus et formalis. — Quid sit finitum. — Quid infinitum. — Infiniti idea est positiva. — Est negatio negationis. — Infiniti notio non est intuitiva, nec arbitraria, sed discursiva, conceptualis, et aliquo sensu indeterminata. — Infinitum est semper in actu. — Quid intelligatur per infinitum in potentia, seu melius per indefinitum. — Theorema I. *Ens actu infinitum est possibile.* — Theorema II. *Ens actu infinitum necessario existit.* — Objectio. — Theorema III. *Infinitum actu pertransiri nequit, videlicet, numerari nequit, aut mensurari quocumque modo.* — Theorema IV. *Finitum quodvis per finiti additionem non potest infinitum evadere.* — Colliges: Contradicторias esse ideam numeri et ideam infiniti simpliciter. — Theorema V. *Repugnat finitum maximum et optimum finitorum.* — Theorema VI. *Indefinitum numquam potest actu infinitum fieri.* — Theorema VII. *Multitudo actu infinita repugnat.* — Corollarium 1.^m Repugnat tam multitudo simultanea, quam successiva. — 2.^m Infinitum non est multitudo. — Solvuntur objectiones.

88

DISPUTATIO 12.^a — De ente necessario et contingenti. — Theorema I. — *Omne ens in se vel necessarium est, vel contingens.* — Theorema II. *Ens necessarium est ens à se.* — Theorema III. *Ens necessarium non potest esse in statu pure possibilis, seu; Ens à se necessario exsistit.* — Theorema IV. *In Ente necessario non sunt modi proprie dicti, seu accidentia.* — De Ente Contingenti. — Theorema I. *Ens contingens est ens ab alio.* — Theorema II. *Ens contin-*

gens potest esse in statu merœ possibilitatis seu; eo solo quod sit possibile non exsistit. — Theorema III. *Quod contingens est, exsistere nequit, nisi ab aliqua causa producatur.* — Theorema IV. *In ente contingenti sunt modi proprie dicti.* — De ente simplici, et composito. — Quid sit simplicitas; quid compositio. — Simplex secundum substantiam. — Secundum quantitatem. — Secundum qualitatem. — Simplicitas absoluta. — Compositum physicum, — metaphysicum. — De Toto. — De Æterno. — Quid æternitas. — Quid Ævum. — Quid sit temporaneum. — Mutationis definitio. — Tria sunt mutationis elementa. — Ens mutabile; — Ens immutabile: — De identitate. — Identitas: 1.º absoluta: 2.º relativa: 3.º moralis — Theorema I. *Omnis ens est mutabile, vel immutabile.* — Theorema II. *Ens immutabile est ens necessarium.* — Theorema III. *Ens mutabile est ens contingens.* — Dupli ratione ens contingens ad existentiam venire potest: ex nihilo sui; et ex nihilo sūi et subjecti. — Primus modus dicitur productio, alter creatio. — Quid sit annihilation. — Ad annihilationem non requiritur actio positiva, sed tantummodo substractio actionis conservatricis. — Quid corruptio, — Quomodo accidentes esse cesserent.

SECTIO QUARTA.

DE QUATOR PRIMIS CATEGORIIS, SEU SPECIALIBUS
MODIS ENTIS.

De modo, quo categoriæ in Ontologia considerantur.—Utrum esse substantiale sit prima categoria. 105

DISPUTATIO 13.^a—De substantia.—Supposito.—Subsistencia.— Persona. — Natura.—De accidentibus. — Attinguntur variæ quæstiones

S. I.

De substantia.—Substantiae, prout categoria est, definitio.—Adversus Pantheistas animadversiones.—Substantiae definitio à Cartesio tradita refutatur.—Propositio I. Substantiae notionem experientia cui-

que obvia suppeditat. Propositio II. *Definitio substantiae à nobis tradita est bona; seu; Substantia est ens, quod per se est, neque indiget alio tanquam subjecto cui inhæreat.* — Hinc sequitur: 1.^o Nos ideam substantiæ habere: — 2.^o Hanc ideam claram esse. — Errare Lockium: — 3.^o Substantiæ notionem arbitriam non esse. — Propositio III. *Nos cognoscimus quid sit substantia universim et per oppositionem ad accidens; minime vero compertum habemus, quid determinatas substantias intrinsecè constituat.*

106

DIVISIONES.

Substantia est simplex vel composita, completa vel incompleta. — Nota 1.^o Essentiam substantiæ compositæ esse diversam. — 2.^o Compositam substantiam dividi posse. 3.^o Partes physicas, quæ substantiam compositam constituunt, esse totidem substantias. — Quid sit substantia completa et incompleta. — Tam personæ, quam suppositi notio. — Hypostasis. — Subsistentia. — Persona idem est ac suppositum, sed rationale. — Cum persona dicitur individua significatur: 1.^o substantiam debere esse singularem: 2.^o debere esse completam: 3.^o habere debere subsistentiam propriam sibi. — Naturæ definitio.

110

Quæstiones variæ et corollaria ad Sacram Theologiam spectantes. — Identitas personæ in quo reponenda? — Lockii error refutatur.

113

§. II.

De Accidente. — Accidentis definitio. — Accidens latius et strictius accipi potest. — Quædam accidentia intrinsecus afficiunt proprium subjectum; quædam vero non intrinsecus. — Substantia et accidens dicuntur ens analogice, non univoce. — Accidentia relativa realiter distinguntur à subjecto. — De accidentibus modalibus. — Modi dupliciter considerari possunt. — Accidentia physica seu absoluta distinguuntur à substantia distinctione reali modali, id est, reali inadæquata et negativa. — Accidentia non sunt aliqua entia positiva. — Objectio. — Responsio. — Non datur rea-

lis distinctio inter corpoream substantiam ejusque essentiales proprietates.—Utrum accidentia conservari possint à Deo separata à substantia.—Nota.—Divisiones accidentium à Scholasticis admissæ.—Dividebant etiam ipsi inhæsionem in actualem et aptitudinalem,—quid hæ sint.—Divisiones à modernis admissæ.—Quid nos doceat fides circa accidentia in Augustissima Eucharistia sensibus apparentia.—Ad solvendam quæstionem requiriuntur cognitiones et solutiones aliarum quæstionum, quas sapientes nondum habent.—Quæ verisimilia sint indicantur.—Confitemur ignorantiam nostram.—Quem nos docere valeat grato animo suscipiemus,—in memoriam tamen revo-
catur agi de Mysteriis menti inaccessis.

116

DISPUTATIO 14.^a—De *Categoría quantitatis*.—Quantitatum diversitas;—item partes.—De continuæ extensionis constitutione ac divisibilitate.—De continuo terminis.—Omnes categoriæ, præter substantiam, sunt accidentia.—Quomodo ad substantiam referantur.—Definitur quantitas, —ejus divisiones.—Quid sit quantitas discreta, —multitudo.—Quid sit quantitas continua;—continua ad sensum,—continua per partium contiguitatem;—proprie ac vere continua.—Continuum permanens ac successivum.—Quid sit linea,—quid superficies.—Limes lineæ est punctum, —quid hoc sit.—Terminus communis qui et quid sit, —Tempus præsens.—Partes aliquotæ, —aliquantæ, —proportionales.—Opiniones circa continuæ extensionis constitutionem ac divisibilitatem.—Propositio I. *Continuum proprie dictum in partes proportionales sine fine dividi potest*.—Animadversio.—Tres quæstiones circa continuo terminos;—primæ et secundæ breviter respondebantur.—Ad tertiam sit: Propositio II. *Termini quantitatis vere continuæ nihil sunt positivi, sed mere privationes*.—Nota.

122

DISPUTATIO 15.^b—De *categoría relationis*.—Quid sit relatio et quotplex.—Relationes reales.—Expli-
catur quid relatio denotet prout categoria est.—Sola relatio realis est categoria.—Definitur relatio,—Quid sit subjectum relationis,—quid terminus,—quid funda-
mentum.—Ratione fundamenti relatio alia est in-
trinseca, alia extrinseca;—explicantur.—Relatio realis

et logica explicantur.—Realis perfecta,—imperfecta,
—ejusdem denominationis,—diversæ denominationis.
—Conditiones ad relationem realem.—Rejiciuntur
entites superadditæ rebus, seu formæ quædam à non-
nullis Scholasticis admissæ.—Prop. *Manifestum est*
esse in rerum natura relationes reales.—Prob. 1.
ex ordine rerum et harmonia ac pulchritudine:—2.
ex dependentia creaturæ à Creatore ac ex mutua de-
pendentia partium cuiuslibet corporis:—3. ab ipsis
Mathematicis.—Relatio inter actiones liberas et mo-
rum regulam est realis.—Relatio realis inter Perso-
nas divinas.—Sabellii hæresis.—Qua de causa non-
nulli negarunt relationes reales?

127

DISPUTATIO 16.^a De categoria *Qualitatis*.—Defi-
nitur qualitas et explicatur.—Qualitates, quæ ip-
sum esse substantiæ perficiunt, definiuntur et expli-
cantur.—Qualitates, quæ ordinantur ad substantiæ
operationes perficiendas, sunt: 1. potentiae natura-
les.—Quid hæ sint.—Definiuntur et explicantur: 2.
Habitus,—definiuntur.—3. Actus immanentes,—defi-
niuntur.—Propositio I. *Quædam qualitates contrarium*
habent, non tamen omnes.—Explicatur. Propositio
II. *Qualitates sensibiles et quæ compositæ sunt,*
habitus item et actus sunt graduum capaces, non ve-
ro figuræ et potentiae naturales, saltem in eodem
subjecto. Explicatur prop.—Habitus acquisiti et in-
fusi definiuntur et explicantur..

132

SECTIO QUINTA.

DE RELIQUIS SEX CATEGORIIS.

DISPUTATIO 17.^a—De categoriis *actione* et *passione*.
—Quid actio sit,—quid passio,—quid agere,—defini-
tur.—Actio et passio distinguuntur ab ipso esse subs-
tantiae *creatae*,—et numerantur inter accidentia.—In
Divina Substantia, quæ est actus purissimus, actio
non distinguitur ab ipsa Substantia.—Quomodo actio
et passio distinguuntur inter se.—Actio immanens;—
transiens.—Immanens est perfectio agentis,—transiens
patientis.—Animadversiones circa actionem
transeūntem.—Substantia creata non potest agere,

nisi in materiam præexistentem, cum qua aliquo modo conjungatur;—quot et quales sint hi modi conjunctionis.—Substantia infinitæ virtutis agit per voluntatem,—et non indiget materiâ præexistente.—Substantia, quæ in aliam agit, nihil agere potest præter id, ad quod erat in potentia.

De principio,—quid sit definitur.—Principiatum.—Connexio inter principium et principiatum intrinseca et extrinseca.—Principium cognitionis,—principium essendi,—principium existendi definiuntur.—Alia principii definitio.—Prioritas principii præ principiato triplex.—Explicantur.—Processio,—definitur quid sit.—Latius patet, quam generatio.—Generatio—quid sit explicatur.—Causæ definitio et explicatio.—Nota, causâ considerari potest vel *formaliter*, vel *materialiter*.—Principium et causa in quo differant.—Nota magni momenti.—Demonstratur quatuor esse causarum classes,—efficientem, videlicet,—materiale,—formale,—finale.—Explicatur in quo consistat causa exemplaris et ad formalem effectui extrinsecam reducitur.—Ab his differunt occasio et conditio.

136

DISPUTATIO 18.^a—Causa efficiens sola proprie causa,—hujus definitio.—Ad causam efficientem pertinet activitas,—activitatis definitio.—Quid sit occasio, et in quo differat à causa.—Assertiones.—I. *Non datur effectus sine causa*.—II. *Nullum ens sui ipsius causa efficiens esse potest*.—III. *Duo entia non possunt esse sibi invicem causa efficiens*.—IV. *Quidquid perfectionis est in effectu, aliquo modo præcontinetur in causa*.—Perfectio effectus præcontineri potest in causa: 1.º formaliter: 2.º eminenter: 3.º virtualiter.—Quo sensu intelligenda sunt tria axioma. V. *Certissimum est nos causæ efficientis ideam genericam habere, licet non cognoscamus in quo præcisè causalitas sive interna, sive externa sita sit*.—Perperam duæ hujus propositionis partes à Davide Humio confunduntur.—VI. *Causæ idea genericæ experientiæ ope adquiritur, estque notio objectiva*.—Principii causalitis certitudo facilé demonstratur contra Scepticos. VII. *Principium causalitatis est analyticum et absolute certum*.—Objectiones.

142

DISPUTATIO 19.^a—De causæ efficientis divisionibus.

—Causa considerari potest ratione temporis,—modi,
—et ratione conditionis, seu speciei effectū producti.
—Præcipuae causæ efficientis divisiones:—1.º dividit
ur in liberam et necessariam:—2.º in causam per se,
et per accidens.—3.º Est causa principalis, vel ins-
trumentalis:—4.º adæquata, vel inadæquata:—5.º
proxima et remota:—6.º univoca, —æquivoca,—et
analogæ:—7.º potest esse physica vel moralis.—8.º
Denique dividitur in primam seu creatricem, et in
secundam.—Causæ secundæ sunt vere causæ efficien-
tes, contra quod sentiunt Malebranchius, Debreyne
et alii.—Propositio. *Causæ secundæ non sunt merœ
occasions, sed veræ ac propriæ causæ efficientes.*
Probatur: 1.º quoad spiritus: 2.º quoad corpora.—Di-
solvuntur difficultates

151

DE RELIQUIS CAUSARUM SPECIEBUS.

Quid sit causa finalis; quid finis.—De medio ad finis assecutionem.—Finis dividitur in finem operis, et finem operantis.—In efficiendum et obtainendum.—In proximum et remotum vel ultimum.—Circa finem distinguendus est ordo intentionis et exsecutionis.—Ex iis patet, omnem agentem agere propter finem.—Quid sit causa materialis.—Quid sit causa formalis.—Quomodo causa formalis influat in effectum.—Nota 1.^a circa materiam et formam.—2.^a De nomine formæ.—3.^a Quid sit produci ex nihilo sui, et ex nihilo sui et subjecti.

159

DISPUTATIO 20. — De categoria *Ubi*. — Loci notio. — Quid per *Ubi* intelligatur. — Quomodo Spatium nobis repræsentetur. — De Spatio absoluto, seu puro. — Spatium ideale nihil aliud est quam possilitas corporum, seu extensio possibilis. — Duo notanda. — Distinguenda sunt imaginationis phantasmata à conceptu idealī. — De Spatio physico. — De Spatii fundamento. — Scoti et Lessii opinio explicatur. — Æternitas Dei licet successionis expers, omnem successionem complectitur. — Immensitas Dei omnes extensiones tam reales, quam possibles in sua simplicissima Unitate continet. — Ex iis patet quare concipiamus Spatium infinitum, æternum.... — Loci secundum Aristotelem de-

finitio.—Loci limites.—Motus.—Potest esse absolutus vel relativus.—Quid sit *quies*.—Notio distantiae.—Utrum detur vacuum reale;—non repugnat.—Esse in loco *circumscriptive* solis corporibus convenit; esse in loco *definitive* ad substantias spirituales pertinet.—Ab iis duobus modis differt præsentia Dei: ac etiam præsentia Christi in Eucharistiæ Sacramento.—Explicantur.

162

DISPUTATIO 21.³—De categoria *Quando*, quæ est octava.—Quid *Quando* significet.—Durationis definitio.—Tres species durationis distinguendæ sunt, nempe *Æternitas*, *Ævum*, *Tempus*.—Hujus categoriæ tractatio versari debet circa ea, quæ ad notionem temporis pertinent.—Quid sit tempus.—Tempus est *ordo successivorum quatenus successivorum*.—Temporis notio tria elementa continet: nempe, *præsens*, *præteritum* et *futurum*.—Ex indivisibilis momenti fluxu tempus constare concipimus.—Tempus concipimus ut essentialiter *unum*.—Tempus *absolutum* ac *purum*—In quo spatii et temporis ideæ convenientia,—et in quo discrepant.—Tempus reale à rerum successione non distinguitur.—Quid sit successio amplius explicatur.—Corollaria circa tempus.—Quid sit *præsens*, *præteritum* et *futurum*.—Quid sit *coëxistentia*.—Tempus absolutum nihil aliud est quam possibilitas successionis.—De mensura temporis.—Mensura temporis est *mutatio aliqua perpetua et uniformis*.—Motus relativus est mensura *naturalis* et *artificialis*.

168

DISPUTATIO 22.³—De postremis duabus categoriis, nempe *situ* et *habitu*.—Quid sit *situs*.—*Situs* differt ab *Ubi*.—*Situs* metaphoricè spiritibus accommodatur.—*Habitus* definitur....—In quo consistat essentia *habitūs*.—*Habitus* neque *indumentum*, neque *habens indumentum* est, sed est aliquid medium.—Species *habitūs* sunt arma et vestes.—Tam arma, quam vestes in varias species subdividuntur.—De prædicamentis satis dictum est.—Ad Studentes allocutio.—Ontologiæ finis.

174

SECUNDA METAPHYSICÆ PARS.

METAPHYSICA SPECIALIS.

SECTIO PRIMA.

DE MUNDO CORPOREO IN SE SPECTATO, DE EJUS ORIGINE
AC UNITATE, PERFECTIONE ET FINE.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CORPORUM ELEMENTIS ET PROPRIETATIBUS.

DISPUTATIO 1.^a.—Expositio, atque Crisis systematum circa corporum constitutiva elementa.—Tria præcipua Systemata tantum attingemus.—Cavendum est in hac quæstione tam à methodo *idealistica*, quam *empirica*.—Quid per *elementa corporum* intelligatur. 179

Systema ATOMICUM exponitur ac rejicitur. — Hujus systematis auctores et propugnatores Leucippus, Democritus et Epicurus, inter antiquos; inter recentiores vero Gassendus et ex parte Cartesius. — Hoc systema vocatur *Atomismus* ac etiam *Systema mechanicum* — Rejicitur. 180

Systema DYNAMICUM exponitur ac rejicitur. — Hoc systema à Pythagorica Philosophia inventum Leibnitius exposuit et Boschovichius illustrare tentavit. — Fundatur præcipue is Systemate monadum et harmoniæ præstabilitæ, quæ cum absurdâ sint, præfatum systema corruat neccesse est. — Multa ex iis etiam Leibnitio visa sunt incredibilia. — Neque admitti potest hoc systema correctum à Boschovichio. . . . 181

Huic simile est sistema transcendentalium philosophorum, qui ajunt, corpora constare viribus *attractivis* et *repulsivis*.—Ex hoc sequitur horrendus Pan-

theismus.—Præfatum sistema impugnatur:—1.^o Vires attractivæ supponunt subjectum; ergo supponunt corpora.—2.^o Quid sunt hæ vires? Suntne puncta an atomi? Suntne unum an plura? divisibiles an indivisibles?

185

Systema ATOMISMII CHIMICI.—Hujus Systematis explicatio.—Propugnatores.—Hocce sistema nodum difficultatis minime solvit.—Rejicitur.

186

Systema unicum acceptabile est ATOMISMUM DYNAMICUM, seu Scholasticorum.—Systematis expositio.—Objectio.—Responsio juxta mentem S. P. Aug.—Responsoris confirmatio.—Corollarium.

188

DISPUTATIO 2.^a De corporum essentia.—Quid sit corpus definitur ac determinatur.—Assertio I. *Corporum essentia non consistit in cumulo proprietatum seu attributorum, quæ in ipsis reperiuntur.* Assertio II. *Corporum essentia non consistit in tribus dimensionibus seu in extensione.* 1.^o Quia datur trina dimensio absque corpore. 2.^o Quia ut extensio existat, præsupponi debet aliquid, quod sit extensis-
onis fundamentum. 3.^o In Eucharistia est verum cor-
pus D. N. J. C. non ratione dimensionis, sed ratione substantiæ. Assertio III. *Nec corporum essentia consti-
tui potest in actuali impenetrabilitate*, quia cor-
pus sine ista vere existere potest.—Demonstratur.
Assertio IV. *Essentia corporis reponenda est in ra-
tione substantiæ compositæ ex partibus realiter dis-
tinctis, ordinatis ad se invicem et ad totum, aptæque
ad trinam recipiendam dimensionem.*—Confirmatur
1.^o ex ipsa essentiæ definitione et notione; 2.^o ex
ipsa corporis ratione.—Corollaria. 1. Non repug-
nat, duo corpora esse simul in uno eodemque loco.
—Confirmatur.—2 Corpus reale J. C. in Eucharistia
partibus realiter distinctis constat ordinatis tum ad
se invicem, tum ad totum, non vero ad locum etc.

190

Ad completam corporis notionem requiritur, præ-
ter essentiæ cognitionem, cognitio proprietatum, quæ
ab essentia utcumque dimanant.—Proprietates, quas
nobis experientia offert, aliæ sunt omnibus corpo-
ribus communes, ab ipsis inseparabiles ac perma-
nentes;—aliæ sunt quidem inseparabiles ac perma-
nentes, non vero omnibus communes;—aliæ autem

sunt variables et sequuntur varios corporis status.—Harum omnium numeratio,—ordinatio,—ac definitio.—Extensio ac impenetrabilitas seu vis resistendi intimius examinantur.—Vis resistendi considerari potest tum in ordine ad corpus, tum in ordine ad locum.—Utriusque definitio—et confirmatur, duo corpora posse esse simul in uno loco.—Animadversio.—Præsentia sacramentalis J. C. in Eucharistia non est *quantitativa*,—hanc vero, seu *quasi—definitivam* habet J. C. in cœlo.—Igitur non repugnat Jesum C. esse simul in cœlo et in pluribus Altaribus.—Animadversio circa apparitiones Angelorum et Sanctorum animarum.

194

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NUNDI UNITATE, SERIE ET NEXU ENTIUM. — DE MUNDI ORIGINE, PERFECTIONE AC FINE.

DISPUTATIO 3.^a De mundi unitate, deque entium serie et nexus.

Quæstio de mundi unitate sub dupli respectu considerari potest:—1.^a an collectio hæc et universitas rerum, quam mundum appellamus, sit *unica*: 2.^a an inter corpora hujus collectionis sit *unitas*.—Prima quæstio subdividi potest.—Si pro mundi nomine intelligitur hic planetes, quem incolimus, multa fuerunt tum inter antiquos, tum inter modernos opinamenta de mundorum pluralitate.—Quid sentiendum? Pluralitas non repugnat,—explicatur sensus.—Quid nos doceat fides.—Sensus SS. Patrum explicatur.—Si vero intelligitur universitas rerum ex cœli terræque compagine coagmentata, etiam fuerunt divisæ Philosophi.—Quid sentiendum?—Pluralitas etiam hoc sensu non repugnat.—Respondetur difficultati à Balmesio optime propositæ.—De mundi extensione.—Respondetur huic quæstioni cum S. P. Augustino.—De figura mundi.—Diversitas opinionum antiquorum.—Quid sentiant SS. Patres.—Quid probabilius?

Quæstio sub altero respectu consideratur.—Est in mundo admirabilis entium, generum, specierum, individuorum, proprietatum varietas.—Ratio harum varietatum est, ut Divinæ perfectiones modo possi-

197

- | | |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| bili manifestentur.—Doctrina S. Thomæ.—In hac mirabili varietate est mirabilior connexio et unitas.—Recensetur entium series, seu creaturarum scala.—Hujus gradus sunt, videlicet, <i>Mineralia; Plantæ; Belluae; Homines; Angeli</i> .—De monstrantur doctrinâ S. Thomæ.—Animadversio contra <i>legem continuitatis</i> Leibnitii et aliorum.—Diversæ rerum naturæ, quamvis inter se quammaxime distent, existunt inter se colligatæ et in mirabilem unitatem conspirant.—Demonstratur: 1. ^o ratione <i>naturalis innexus</i> : 2. ^o ratione <i>mutuæ actionis, et influxūs</i> :—3. ^o ratione <i>temporis et ratione ordinis</i> .—Hic nexus vocatur <i>dynamicus</i> :—4. ^o ratione <i>causalitatis finalis</i> . Hic vocatur nexus <i>teleologicus</i> .—Corollarium.—Finis omnium Deus O. M. , | 200 |
| DISPUTATIO 4.^a—DE MUNDI ORIGINE. | |
| Recensentur errores circa mundi originem, et ad tres reducuntur classes.—Refertur vera doctrina.—Animadversio circa vires humanæ rationis sibi relictæ ad quæstionem solvendam.—Primus error pantheismus.—Animadversio circa hunc errorem.—Pessimus est hodiernorum pantheismus, quam antiquorum.—Pantheismi notæ characteristicæ.—Hodiernorum pantheismus insana theomachia est.—Ad duas reducitur classes. | 207 |

S. I.

Quid EMANATIO TRANSIENS.—Sub qua forma apparet inter Indos;—in media ætate;—hodie.—Ejus historia apud Indos.—Utrum pantheismus continetur in libris sacris Indorum *Vedas* appellatis.—De geogoniis Ægyptiorum et Persarum.—Mystagogæ et vates Græcorum,—Schola Jonica et Pithagorica,—Schola Neoplatonica primum Romæ, deinde in Alexandria, ultimo Athenis.—Judæi Kabbalistæ.—Desiit denique in id, quod hodie vocant *Spiritismum*.—Arabes.—Scotus Erigena.—Realistæ heterodoxi.—Almaricus Carnotensis.—David de Dinando,—Beguardi.—Frat. Eckartur.—sæculo XVI Zuinglius.—Horum mysticismus.—Quid mysticismus Catholicus.—Orthodoxus, seu Theologia mystica,—et heterodoxus.—Julianus Sanz del Rio.—Emilius Castellar. . 210

S. II.

Quid EVOLUTIO IMMANENS TUM REALIS, TUM IDEALIS.

Schola *vedantica* Indorum.—*Uyasa* et *Kapila*.—Sectatores hujus systematis.—Exponitur pantheismus *vedanticorum*, — *Baudhistae* et *Djainas*.—Horum somnia à modernis exsuscitantur,—eorum affinitates.—Schola *Eleatensis*, — Hujus scholæ principia à neotericis usurpantur.—*Stoici*.—Desiit in scepticismum. Exsuscitat sæculo IX. *Scotus Erigena* sub forma mystica,—sæculo XVI. *Jordanus Bruno*, — *Baruch Spinosa*.—Hujus pantheismus exponitur; — ipse illum desumit à *Cartesio*.—Pantheismus sub forma *evolutionis immanentis idealis* continetur in criticismo *Kantii*, — ejus discipuli.—Systema pantheisticum *Fichtei*, — idem *Schellingii*; — idem *Hegelii* exponitur.—*H. Ahrens*, — *J. Salvador*, — hujus impietas in *Moysem*.—Pantheismus in Hispania; pantheismus sub variis formis in Gallia, — *Lamennasius*, — *Cousim*.—Theoria *Hegelianana*, — ejus applicationes ad historiam, religionem et politicam.—Progressus indefinitus.

Præcedens historia pantheismi paucis comprehenditur.—Ex hactenus dictis satis colligitur, omnes pantheisticos errores in eo convenire, quod unicam substantiam admittant, licet eam variis nominibus insigniant.—Hæc nomina.—De formula, quâ pantheismus exprimitur.—Definitio.—Damnatur à SS. D. N. Pio PP. IX. in Alloc. *Maxima quidem* et in Encyclica *Quanta cura*, in syllabo adjecto.

Ad pantheismum impugnandum transitum facimus.

Refutatur pantheismus primo generatim.—Propositio I. *Pantheismus est sistema, quod cum experientia tum interna, tum externa pugnat, est absurdum in se, et quam quod maxime pernitosum.*

Prima pars probatur: 1.º ex propria personalitate: 2.º ex variis animi affectionibus: 3.º ex libertate arbitrii.—2.º *prob.*: 1.º ex ipso sensationis actu: 2.º ex multiplicitate objectorum: 3.º ex corporum extensione.—3.º *pars demonstratur*: 1.º ex absurda Pantheistarum methodo: 2.º ex eorum absurdo principio: 3.º et 4.º ex absurdis Pantheismi consectariis.—*Objectio*.—*Responsio*.—4.º *pars prob*: 1.º ex eo quod pantheismus

ad rationalismum dicit: 2.^o quia in eadem ac atheismus absurdum incurrit: 3.^o quia humanam libertatem tollit: 4.^o animarum immortalitatem inficiatur: 5.^o denique admissum Pantheismo, discrimen inter bonum et malum omnino evanescet, ac in praxi turpissimus crearetur *egoismus*, neconon suimet adoratio.—Solvuntur difficultates.

DISPUTATIO 5.^o—Quædam adversus pantheismi determinatas formas adnotantur.

Propositio II. *Emanatio transiens est absurdum et repugnans.*—Demonst.

Propositio III. *Baruch Spinosæ pantheisticum sys- thema est falsum in se et contradictorium, nititurque assertionibus eminenter sophisticis.*—Probatur prima pars ex concessis ab ipso Spinoza: P. 2.^a pars ex definitione attributi ab Spinoza admissa, nec non ex absurdis in Spinozismo contentis: P. 3.^a pars ex absurdum Substantiæ definitione ab Spinoza tradita.—Pantheistarum argumentatio exponitur ac refutatur.

Prop. IV. *Pantheismus idealis Germanorum est eminenter absurdus et impius.*—Demonst.—Contradiciones et absurditates Fichtei,—idem Schellingii,—idem Hegelii.—Nihilismus transcendentalium,—Dialectica ridicula et absurdum Fichtei et Hegelii.—Quid et qualis sit Deus Fichtei, Schellingii et Hegelii.—Quid sentiat Oken,—quid moneat Wilmius. F. Lamennais, H. Ahrens, J. Salvador.—Respondent Cousinio et disjiciunt ejus erroneam sententiam circa creaticnem ex nihilo S. P. Augustinus, et S. Thomas.—Conclusio.—Origo et progressus omnium errorum descripti pulcherrime à S. P. Augustino.

DISPUTATIO 6.^o—Duo alteri errores circa mundi originem recensentur et refutantur.

§. I.

Alius error est eorum, qui somniantur mundum semper fuisse in eo statu, in quo nunc est.—Hi bifariam dividuntur,—alli ponunt mundum increatum, æternum.—Referuntur antiqui et moderni patroni hujus erroris.—Prop. I. *Absurdum quam quod maxi-*

228

242

243

248

mum est ponere mundum esse increatum. Demonst.
1.º ex eo quod mundus sit contingens, non à se, et ex
aliis mundi imperfectionibus: 2.º ex eo quod sit mul-
tipliciter finitus: 3.º ex divina revelatione, et ex om-
nium populorum traditionibus: 4.º ex pluribus con-
jecturis deductis tum ex historicis, tum ex origine
scientiarum, artium etc.—Prop. II. *Mundus fuit à
Deo conditus non ex necessitate naturæ, sed libera
voluntate.*—Est contra Stoicos, Neoplatonicos seu ecle-
ticos, Robinetum, Voltairium, Carolum de Sodolat,
Montesquieum, Cousinum etc. Demonst. 1.º ex eo
quod mundus sit effectus causæ intelligentis: 2.º ex
eo quod in mundo resplendeant tum fines particula-
res, tum finis ultimus: 3.º ex possibilibus, et Dei Om-
nipotentia: 4.º ex eo quod Deus libertate in operibus
ad extra carere non possit: 5.º ex absurdibus.—Res-
pondetur difficultatibus.—Hæc quæstio: Quid Deus
ageret antequam mundum creasset? est absurdæ.—
Respondetur cum S. P. Augustino, et S. Bonaventura.

254

§. II.

Tertius error circa mundi originem est eorum, qui
dixerunt, mundum non esse quidem æternum, sed
æternam esse materiam, ex qua mundus effectus fuit.
—Hi bifariam dividuntur.—Hilozoitæ,—Epicurei,—
Plato,—Materialistæ Germani et Galli,—R. Carte-
sius.—Prop. I. *Materia, ex qua mundus constat,
non est à se.* Demonst.—Prop. II. *Materia pro-
duci debuit ex nihilo.*—Demostratur a S. An-
selmo et S. P. Aug.—Corollaria.—Prop. III.
Rejiciendum est absurdum CAUSALISTARUM systema.
Quatuor afferuntur demonstrationes.—Verba Tullii.—
Prop. IV. *Ergo Mundus non fuit à Deo factus ex
materia improducta præexistente, sed productus
fuit ex nihilo.* Demonst.: 1.º Verbis S. Justini:—2.º
Verbis S. P. Augustini: 3.º Tertulliani:—Concludit
S. Bernardus.—Solvuntur diff.—Prop. V. *Corporum
mundanorum distinctio et ordo à Deo est materiae
Creatore.*—Contra quos sit propositio,—ejus sensus.

—Demonst.: 1.^o ex eo, quod Deus sit agens intelligens, ideoque operatur propter finem:—2.^o verbis S. P., ex eo quod impossibile sit, ut actualis mundi ordo ex materiae viribus plasmaretur:—3.^o probat Lactantius ex admirabili structura, et instinctu et solertia animalium, præsertim vero ex superioribus hominis facultatibus. 261

Duae animadversiones in præterita.—Duo quærenda: 1.^o Utrum determinari possit mundi ætas, et qualis sit.—Omnia creata sunt in instanti *causaliter, invisibiliter et potentialiter*.—Quomodo intelligendi sint illi mirabiles dies sex, quos memorat Moyses.—Spiritus Domini super aquas.—Quomodo omnia fecundabat et plasmabat.—An immediate.—An sex momentis angelicis.—An diebus sex naturalibus.—An temporis spatiis plus minusve longioribus? Definiri non potest.—Communior opinio.—Populorum annales et observations geologicæ confirmant Moysis narrationem.—Quam ætatem assignet mundo Moyses.—Chronologorum opinions diversæ.—Quæritur 2.^o Utrum mundus potuerit esse ab æterno, seu utrum repugnet creatio ab æterno.—Quinam affirmaverint, esse possibilem creaturam ab æterno.—Quinam negaverint.—Nullam invenio repugnantiam creaturam aliquam esse ab æternò, seu sine temporis initio.—Demonst. tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ,—tum ex parte ipsius creationis nullam esse repugnantiam.—Non ex hoc sequitur, creaturam esse æternam.—Resolvuntur difficultates, et explicatur assertum. 273

ARTICULUS TERTIUS.

DE MUNDI PERFECTIONE ET FINÆ.

DISPUTATIO 7.^a.—Mundi finis quis et qualis.—Mundus actualis est perfectissimus in suo genere, sed non optimus possibilium.—Solvuntur Leibnitii et Mallebranchii scrupula.

§. I.

Deum, qui est sapientissimus, in mundi creatione aliquem finem se dignum intendisse evidens est.

—Dico I. *Dici nequit, divinam Voluntatem PROPRIE ad agendum moveri fine, qui dicitur operantis.*—Ratio.—Quare diximus *proprie*.—Gloria Dei intrinseca.⇒ Dico II. *Dici tamen debet, Divinam Bonitatem esse Deo rationem volendi quæcumque extra se vult.*—Ratio.—Est in operibus Dei finis operis.—Dico III. *Ordinantur ergo omnia ad Divinam Bonitatem, non ut aliquam perfectionem, aut voluptatem illi conferant, sed ut divinas perfectiones manifestent.*—Rationes partis negativæ.—Tres afferuntur rationes pro parte affirmativa.—Doctrina S. Thomæ.—Explicatur quomodo tam res diversæ ad divinas perfectiones manifestandas concurrant, seu ad Dei gloriam extrinsecam.—Quomodo concurrant creaturæ rationales.—Deus hunc finem et absolute vult et efficaciter assequitur.—Corollaria. 278

S. II.

Quomodo existimanda est et dimetienda perfectio alicujus rei.—Duo sunt attendenda.—Notandum.—Applicatur hæc doctrina ad determinandam mundi perfectionem.—Mundus est pro fine suo perfectissimus.—Ratio.—Doctrina S. Patris.—Tamen dici nequit, mundum esse omnium possibilium perfectissimum, seu optimum.—Demonstratur à priori—et ad absurdum.—Optimismus progressistarum,—hujus verus auctor,—iisdem urgetur difficultatibus.—Continuus mundi progressus in infinitum est absurdus, intrinseceque contradictorius. 282

SECTIO SECUNDA.

DE EFFECTIBUS IN MUNDO, SIVE NATURALIBUS, SIVE SUPERNATURALIBUS.

DISPUTATIO 8.^a.—Quid sit natura,—naturæ lex,—et res naturalis.—De ordinis supernaturalis possibiliitate ac de legum Physicarum contingentia absoluta, et constantia hypothetica.

Origo vocis *naturæ*,—ejus stricta significatio,—variæ ejus significationes ab hac prima derivatae.—

Duo significat cum ad rerum universitatem significandam adhibetur.—Quo sensu interdum Patres voce naturæ utantur.—Quo sensu et quare Deus etiam natura dicatur.—Quid sint leges naturæ explicatur, et determinatur.—Item quid sit *cursus naturæ*,—quid *ordo naturalis*.—Definitur quid sit naturale, et quotuplici modo dicatur.—Quid naturale secundum *cursum*.—Quid secundum *ordinem*.—Naturali respectu alicujus naturæ particularis opponitur diversimode voluntarium, violentum, artificiale;—quid hæc sint.—Naturali respectu naturæ universæ opponitur diversimode fortuitum, et supernaturale.—Quid sit fortuitum,—quid sit supernaturale explicatur, ac determinatur.—Supernaturale quoad *exigentiam universæ naturæ creatæ*,—et quoad *vires*.—Error Giobertii et naturalistarum.—Exsistit ordo naturalis.—Assertio.—*Præter ordinem naturalem hocque incolumi possibilis est ordo supernaturalis.*—Explicatur ac demonstratur assertio—Propositio. *Leges naturales, seu physicæ relate ad Deum sunt absolute contingentes, relate vero ad se ipsas, et ad quascumque creatas vires necessariæ sunt.*—Prænotandum.—Explicatur ac demonstratur propositio quoad utramque partem.—Corollaria—Præoccupatur difficultas contra miracula.

285

DISPUTATIO 9.^o—DE MIRACULI NOTIONE, SPECIEBUS
ET GRADIBUS.

Miraculi vox unde derivetur.—Duo admiratio-
nem causant.—Causa occultissima Deus, —tum in
se, tum quoad nos.—Oppositorum ei, quod evenire
debuerat, duplex.—In adæquata notione miraculi
tres conceptus includuntur, —explicantur.—Opinio
a Benedicto XIV. exposita.—In quo præcise con-
sistat miraculum.—Definitio miraculi explicatur.—
Singularis Heuttevilli, Bonneti et aliorum opinio re-
futatur.—Demonstratur nostra definitio.—Natura
corporea non obedit Angelis, nisi in accidentalibus.—
Miraculorum species determinantur, et comparatur
doctrina S. Thomæ ex variis locis.—Tres miraculo-
rum species.—In unaquaque dantur gradus.—Coro-
llaria.—Quare creatio non sit miraculum.—Exponi-
tur sensus S. Patris Aug.—Discrimen miraculi ab

operibus miris, et præstigiis.—Notæ, quibus discer-
ni possunt.—Explicatur sensus, quo dicitur miracu-
lum *contra naturam*, ipsis verbis S. P. Augustini. 295

DISPUTATIO 10.^a—DE MIRACULORUM CAUSA EFFI-
CIENTE ET FINALI.

Solus Deus potest esse causa efficiens miraculorum.

—Demonst.—Causa miraculorum finalis posita est
in eo, ut sint signum divinæ Voluntatis in favorem
alicujus doctrinæ, benevolentiae erga innoxios, aut
iræ erga protervos.—Angeli miracula proprie dicta
per se efficere non possunt,—possunt tamen ut ins-
trumenta, et Dei administri;—hoc de angelis malis
dici non potest.—Doctrina S. Thomæ.—Errores circa
miraculorum possibilitatem.—Præoccupatur difficul-
tas.—Prop. *Miracula et intrinsece, et extrinsece pos-
sibilitia sunt.*—Demonst. utraque pars.—Resolvuntur
difficultates.—Explicatur et confirmatur nostra doc-
trina verbis S. P. August.—Somnia et fabellæ sunt
miracula paganorum, et hæreticorum.—Non tamen
repugnat, Deum aliqua inter ipsos facere ad eorumdem
majorem confusionem.—Prop. *Cognosci cum certi-
tudine potest existentia facti, quod naturæ ordinem,
ac facultatem excedit, si hoc factum sensibile sit.*
Demonst.—Respondetur alteri Humii diffic.—ASSER-
TIO. *Ex consideratione facti mirabilis una cum ejus-
dem adjunctis, cognosci potest, ut plurimum, utrum
illud sit signum divinum, an non; cum vero hoc cog-
nosci certo nequit, si ejusmodi factum signum divi-
num non est, semper indicia suppetunt ad dubitan-
dum de ejus origine.*—Demonst. et explicatur ASSER-
TIO per singulas partes.—CONCLUSIO COSMOLOGIÆ. 303

Corrigenda. 322


SL 1159 (Vol.2)

40213



40000126570





P. ALVAREZ
A JESU.
LECTI^ONES
PHILOSOPHIAE

1. 159

(V. 2)